Quaestiones

in

Ciceronis libros de Oratore.

Scripsit

Gulielmus Friedrich.

Molhusis Thuringorum
In aedibus Cyri Andresii.
MDCCCLXXXV.

Quaestiones in Ciceronis libros de Oratore.

Fontes esse duos, ex quibus qui Ciceronis de oratore libros recognoscere student haurire soleant, satis notum est. Sunt codices, qui vocantur mutili et integri, quorum illi in duas partes tribuuntur, vetustiores et recentiores, hi illo ex codice Laudensi fabuloso emanasse dicuntur, quem qui Ciceroni rhetori operam dant vix renatum (anno 1422) celerrime e conspectu hominum evanuisse omnes lugent semperque lugebunt. Neque tamen, utrum omnes an singuli ex hoc libro vetustissimo transscripti, an ea modo, quae defuerint, expleta sint, usque ad hunc diem plane indagatum est. Quae quidem quaestio, antequam omnes codices Italicos denuo collatos atque excussos habebimus, vix persoluta erit. Nam qui aliqua cum diligentia Ellendtii adnotationes criticas perscrutatur, quam ea nondum illustrari possit, mox videbit. Neque solum Lagomarsinianas lectiones, quas hic homo doctissimus collegerit, editioni suae Ellendtius adscripserit, incertas esse e Vassis libello, quo Athenis nuper edito codicis Ciceroniani bibliothecae Laurentianae ab Hieronymo Lagomarsinio n. 32 designati in primo de oratore libro nova collatio continetur, didicimus, tum nova collatione libri tertii, quam e codice 69 homo quidam nostras Stanglii nunc Herbipolitani auctoritate et gratia nuper nobis suppeditavit, comperimus, verum etiam ceterorum, quos Ellendtius adhibuit, lectiones aliquoties non recte notatas, saepe omissas esse videbit is, cui novae illorum codicum collationes praesto

erunt. Sed: ne ab Laudensi discedam, hodie inprimis Ottobonianus n. 2057 signatus et Palatinus, cui n. 1469 inscriptus est, quod ad hunc Landriani librum exacti sint, laudantur, quorum tamen, quod sciam, nemo praeter Stanglium nunc collationes in scriniis suis recondit. Doleo, quod hic iuvenis doctus illas divitias in medio proponere cunctatur. Quas antequam ipse adspexi aut, quod malim iisdem ex locis erui, facere non possum, quin profitear, me valde a codicibus vetustissimis, qui quattuor vel etiam quinque saeculis propius ad veritatem accedunt, ad Laudensem recedere dubitare. Nam mira ac fabulosa de ipso Landriani codice narrantur. 'Pene ad nullum usum aptum hunc esse', ad Gerardum Landrianum Gasparinus Barzizius scribit, 'se ideo novum manu hominis doctissimi scriptum ad illud exemplar correctum codicem mittere'. 'Nullum Mediolani esse repertum, qui eius vetusti codicis literam sciret legere', enarrat Blondus Foroliviensis, 'Cosmum quendam egregii ingenii Cremonensem tres de oratore libros primum transscripsisse multiplicataque inde exempla omnem Italiam desideratissimo codice replevisse'. Unius igitur hominis ingenio tota, si qua est, Laudensis auctoritas niti videtur. Deinde Guarinus Veronensis ad Gasparinum scribit, 'venire eruditum atque optimum virum Johannem arcignanum, ut Ciceronem **integrum** sua opera **factum** ad se referat', quae verba haud dubie ita intellegere debemus (cfr. Detlefsen acta conv. philol. Kiliensis 1869, p. 100), Guarinum voluisse, ut Johannes suus codicem quendam mutilum ex Laudensi suppleret. Sed qui suppleti, qui toti transscripti tum sunt? Quae fides Cosmi religioque? Quae ipsa illius codicis condicio fuit? Nonne suspiciosissimum est, quem oculis diligentius homines docti custodire debebant, eundem evolasse? Sane ne e manibus quidem Gasparinum emisisse, quin immo ita amasse eum credo, ut perire suum quam ab aliis recognosci mallet. Tum unde locis corruptis haud rarus consensus et mira conspiratio cum mutilis integrorum? Qui denique fieri potuit, ut iidem et alii in libris residerent, qui ex latinitatis artificum officina exisse dicuntur? Haec omnia in tenebris latebunt, nisi totam codicum istorum congeriem contulerimus atque comparaverimus. — Venio nunc ad codices, qui mutiliv ocantur. Constat eodem omnes ex fonte emanasse. Tamen duo sunt genera, ut supra dictum est: alterum recen-

tiorum est, qui saeculo XIV aut XV descripti sunt (Erl. II, lgg. 2, 4, 13, 32, 36), alterum vetustiorum Abrincensi et Harleiano et Erlangensi I continetur, quorum hic saecl. X p. Chr., illi duo nono videntur scripti esse. Wolfenbuttelani tertii et Erfurtensis, qui prioris generis sunt, curam non habeo nisi illius, ubi Abrincensis, cui finitimus est, deficit. Hic autem Erfurtensis plane nihil, nisi quae Harleiani plerumque secunda aut tertia, raro prima manu probata sunt, praebet. Ac ne Erlangenses quidem, qui olim plurimi aestimabantur, in pari loco atque H aut A ponendos esse, ipse Eduardus Stroebel in diss. de Ciceronis de oratore librorum codicibus mutilis antiquioribus scripta (Erlangae 1883) recte iudicavit. Id addo, Erlangensem I ex libro, qui Abrincensi propinquus est, transscriptum multifariam tamen secundum Harleianum ipsum vel ei cognatum quendam codicem correctum esse.

Sed iam tempus est, viros doctissimos et humanissimos, quibus, quod auxilia ornatissima suppeditaverint, gratiam quam maximam debeam, nominare. **Harleiani** codicis collationes duas habui: alteram **Augustus Luchs** Erlangensis, alteram **Franciscus Ruehl** Regimontanus dedit. **Abrincensis** tribus uti potui: Schneideviniana me **Thomas Stangl** instruxit, secundam **Ernestus Leutsch** eques, quem iure grammaticorum Nestorem appellamus, tertiam **Ferdinandus Heerdegen** Erlangensis permisit. **Erlangensis** utriusque collationes **Thomas Stangl**, prioris ex II et III libro transscriptam lectionum varietatem **Eduardus Stroebel** Bipontinus addiderunt.

Septem igitur vetustissimorum codicum collationes mihi praesto erant, quibus omnibus inter se comparatis et in libellum meum transscriptis, ut quidquid in quoque codice scriptum sit certius nunc affirmare possim, id assecutum esse me certe spero. Nam qui unquam ipse codices aliquos effinxit, is facile oculis pluribus plura atque subtilius quam duobus cerni expertus erit. Quae cum ita sint, iam distinctius, quae inter Harleianum et Abrincensem ratio sit, constituere me posse arbitror. Mira est consensio horum duorum vetustissimorum codicum, quorum tamen Britannicum eo pluris aestimo, quod totius operis tres fere partes eadem manu scriptas et octava aliqua parte plura quam Abrincensis servavit. Nam in iis partibus, quas communes habent, non modo eaedem plurime omissiones sunt,

sed etiam haud raro fit, ut iisdem locis eaedem syllabae vel litterae supra scriptae inveniantur aut verba per notas easdem scripta legantur. Attamen intervalla, quae in archetypo fuerant inter voces singulas, sive maiora sive minora accuratius H videtur servasse, qui idem saepius corruptis locis corruptionis signa tutatus est neque minus saepe vera retinuit, ubi in A litterae 'e' et 'ae' permutatae sunt. Deinde non semel factum est, ut in H prima manus ipsa aut altera et paulo aetate inferior restitueret, quae aut adhuc corrupta aut tertia manu et recenti demum correcta in A legimus. Librarii autem illius, qui H confecit, erat, non modo litteras singulas aut syllabas omittere, sed etiam duplicare, quarum alteras rursus aliquot locis delevit. Ita (numeri Orellian. ed. II sunt) in p. 188, 18 *negagaret* 201, 34 *plusplus* 241, 12 *reppupulit,* 245, 40 *omitmittit,* 267, 4 *tantantam* 274, 19 *turpipionis,* 280, 15 *noceretret* similiaque alia multa aliis locis exstant. Neque loci aliquot desunt, in quibus verba, quae oculorum errore deductus transposuerat, signis ipse reposuit. Profecto homo ille erat indoctus et pinguis, sed curiosus, quem multo cum sudore et gravitate id grave scribendi onus subisse recte arbitrabimur. Deinde H *unquam, nunquam, tanquam, quanquam* constanter scripsit, A contra *umquam, numquam, tamquam, quamquam* amavit neque uno plus loco (322, 3) *quanquam* inveni Semper H *quicquid,* non cum A *quidquid,* saepius *suptilis,* item *expectare, execrationes* scribere praetulit neque multa verba exstant composita, in quibus praepositio consonanti, qui sequitur, non affecta sit. Plerumque ergo syllabis *imp., comp., ass., aff., ill., coll.* etc. verba incipiuntur. Tum vocalium gravius sonantes retinuisse Britannicus solet. Itaque saepius quam in A *lubido, existumo, vulgus, maxumus, gravissumus* similiaque leguntur. Restat ut nunc proferam, quibus in singulis locis primae utrimque lectiones discrepent. Priorem locum A, alterum H tenet. Meliora pinguioribus litteris significata sunt.

Lib. II.

Orell. edit. p. 225, 34 acsi — atsi, 35 hominum — hominem, 37 sessionis — sessessiones ('ses' eras.), 226, 9 philosophi ('so' s. l.) — phylosophi (ita H plerumque), — 26 (lacunae signum) — **dixi .... Scaeuola**, 227, 16 crass› (i. e. crassus) — crasse, 36 non — nos, 228, 1 scientiam — scientia, 6 a ueritate ut tu putas — **ut tu putas a ueritate**, 20 **ut** usum — usum, 22 ominum — **h**ominum, 26 quod — quid, 28 qui**dem** — qui, 229, 9 alia aliqua arte — aliqua arte alia, 13 optumo — optume, 21 tamen — tam, 22 minus — munus, 39 ante — **a te**, 230, 1 non iam — non **tam**, 5 crassi — crass**us** (in archetypo certe crass› scriptum fuit, cfr. supra.), 12 constitut**a** — constitutae, 21 cui — cum, 38 sint — sunt, 233, 15 quos — quo **sunt**, 18 his — iis, 22 hau ||| scio — hau**d** scio, 234, 9 **h**is — iis, 14 apellant — appellant (item 242, 17, contra 247, 14.), 31 adsumam**us** — adsumam (signum' aut neglectum est aut evanuit), 235, 6 **uel** formae—formae, et (pro 'etiamsi') — **et** (cum litt. 7 vel 9 spatio), 8 eneidem — **ne idem**, 11 p [er se?] .. tur — **persequan**tur ('a' ex 'o' factum) — 30 ludus **est** — ludus, 33 hausciam — hau**d** sciam, 236, 3 est contorqu. — contorqu., 21 omnis — omnes, 23 aliquod — aliquot, 27 **ph**ormio — formio, 31 uidisse — uidisset, 35 erant — er**r**ant, 237, 15 eas — ea, sex uel etiam — sex**ne** (sc. ue) **partis** uel etiam 22 ali — alii, 29 **in**audita — audita, demonstratur — demonstratur**um** (tum exigua loci vacuitas), 30 cum — quom, 42 idem **sentio** — idem, 238, 3 adsequ. — consequ., 6 actamen — attamen, 17 oratoresse (utrimque sup. 's' corrupt. sign.) — oratorse (tum spat. parv.), 19 aliu**d** — alium, 36 **se** — (om.), 239, 5 quo**o**que — quque, 14 excellent**in**eo — excellenti eo, 15 quom — **eum** (sc. Tum), 30 posse — posset, 34 thucyd. — thuchyd., 37 thepamenes — theramenes, 240, 1 pericly — pericli, 5 philisti — phylisti, 8 **con**plures — quamplures, **non**fuerunt — fueru**n**t, 9 quandin — qua**m**din, 12 dicend — dicendi, 13 **D**emoch. — emoch., 16 amalabandenſ · ẽ · — [a]malabanden**sem**, mene**c**lem — m**e**nedem (cl?), 22 praesidia

— praesidio, 23 quaestio — quae stilo, 26 non **ea** — non, 241, 14 formula fere — **fere formula**, 20 uolitare — uolitari, 25 tradiciatis — **tradid**atis, 242, 6 beneficiis — **u**eneficiis, 22 illu**d** — illu, 23 es**t** — es, 24 deis — de**i**is, 25 medifinitio — medefinitio, **quid sit ars** — (om.), 27 (om.) — **sic**, 30 omnia — omn**i**, 31 prim**um** — primo, abdito — **ad**dito, 34 praelabitur — praete**r**labitur, 37 potest — potes, 243, 4 nouom — **non** nouom, 9 ambigorum — ambigu**o**rum, in — **ii**, 20 nam ii quidem — nam iis quidem, 26 commen**d**at. — commentat., 244, 1 dusput. — d**i**sput., 2 et in argum. — atque in argum. ('in' s. l.), 3 tract**and**is — tractis, 5 copia — copias, 6 aptu — aptu**m**, 14 test**i**s — testes, 21 **dumtaxat** — (om.), 27 **pene** — per, 245, 17 per orandum — peroranda, 18 rerum — **reum**, 25 coepionis — **cae**pionis, 246, 6 peta — pet**o**, maee (pro 'me**ae**') — me, 7 **modo** — (om.), 21 estius — **eius**, 247, 16 natura**m** — natura, 18 oratoris — oratori, enim — vero, 23 his — **i**is, 24 crimin**um** — criminis, 27 seditio**s**us — seditius, ad — **a**, 30 forsitam — forsita**n**, 37 quoties — quotie**n**s, 248, 17 uniuersa — uniuersas, 249, 6 ista inquit — **inquit ista**, 9 certum — incertum ('in' eras. Fort. 'iam certum' erat), 10 auris — **a uiris**, 14 **est** — (om.), 250, 18 relicuum — reli**q**uum, 20 asid. — assid, 24 proposita — posita, 28 max**i**me — maxme, 31 iandudum — ia**m**dudum, 35 putara**mus** — putaram, 36 iucundi**o**rem — iucundioorem, 251, 8 excipere — exciperes ('s' erar.), 9 ist**o**rum — istarum, 15 pythagoras — pythagogras (alterum 'g' eras.), 22 athenienses — athenien**s**is, 30 **quam** — quam omnino (hoc ex versu supra scripto inrepsit), 252, 8 **i**dem — eidem, 10 atque — **ac**, 23 ment**i**s — mentes, 35 mini**ma** — mini, 253, 15 carūos — caruos (utrimque super 'u' corrupt. sign.), 16 (om.) — **sin**, 29 siuos — s**u**os, 35 quom — cum, 254, 2 perspicuum est — perspicuumst, 9 paria. mus (supra scr. 't compara bimus') — paria (8 litt. sp.) mus (in spat. manus alt. 'quere' inseruit), 10 tanto op. — tantop., 21 commonstr. — quommonstr., 27 neque **enim** — neque, 255, 4 defat. — defet., 8 ||||| puncta — **inter**puncta, 33 conlatio — conl**o**catio, 256, 11 conseq. — **per**seq., 13 proferri

— proferre, 34 diduc. — deduc., 36 **animorum** — (om.), 257, 8 quo — qui, 13 flexatque animina — flexatque ani**mama**, 15 a**d**uers. — auers., 17 quam — qu**o**m, 18 tractare — tractar**i**, c. — c. **que**, 27 adhiberet uole — adhibere uolet, 28 aliquid dol. — aliqui dol, 36 **per**mou. — commou., 258, 15 periclis — peric**u**lis, 32 **eius** crati — crati, 259, 1 imflamat. — inflam**m**at., 4 **at**que — neque, acto**r** — acto, 11 magno op. — magnop., 17 atque — et cum, 19 lacrumi· — lacrimis, (om.) — **magno**, 21 a**f**fuisset — afuisset, 29 causu casu, 30 l**a**pidum — lepidum, 35 calamitat**e** — calamitatem, 260, 4 plebiscitis — plebis scitis, 6 seditio — seditio**nes**, 14 odum — od**i**um, 23 maiore — **mo**r**e**, 33 perstrinxi — pertrinxi, 35 mini**me** — mini (in pag. fin.), 261, 3 di — dii (alt. 'i' eras.), 38 retulisse — rettulisse, 262, 3 hecferre ('h' in ras.) — ecferre, 11 **ex** comm. — comm. (versus princ.), 18 iact**ant et**, — iactent, 263, 3 fle**c**tendos — fletendos, 4 **his** — iis, 6 dignitate — **len**i**t**ate, 9 inflammandum est — inflammandumst, 14 tamen — (om.), 19 tertius — terti**um**, 23 requit — requi**r**i**t** ('ri' del. et corrupt. sign. supra scr.), 28 **eius** — (om.), 29 reprehen**den**dis — reprehendis, 264, 6 disputar**i** — disputare, 18 **persaepe** — (om.), quom — cum **in**, 264, 20 imitatores et — imitatores, 31 (om.) — **contra**, 35 occurrant (sed 'a' ex '**u**') — occurrant, 265, 1 aut — **aiunt**, 3 **nam** — non, 6 utque (supra 't' corrupt. sign.) — ut**ro**que, 12 alter**i** — altero, 23 hi — **ii**, 24 consignato — consignatos, 37 nobilitat**i**s — nobilitas, 266, 1 **rei** — re, 32 dictumst — dictum est, 267, 2 ·m· — marco, 11 **his** — iis, 12 ducamus — ducamu**r**, 16 uidetu**r** — uidetus, 32 eteiciam — etliciam ('L' ex 'E'), 35 risum uelle — uelle risum, 37 iste — ipse, 268, 5 **d**eform. — form. (sp. 5 litt. antecedit), 15 sepe — sape, 19 faciner**os**os — facinerosi, 21 est maxime — **maxime est**, 24 maxim**e** — maxima, omnes — omn**i**s, 31 locus — **i**ocus, 32 cum — quom, 36 larg**i** — largii, 37 cum esset quom — quom esset cum, 269, 2 inscriptas — inscript**a**, 4 memmius mordax largii (cum transp. sign.) — **larcii mordax memmius**, 5 quam sit eleg. — quam eleg., siue

(pro 'vere') quod — quod, 7 fingere — finger (tum 20 litt. sp.), 8 ei — eius, 10 **deprivata** — (om.), 13 brachio — bracchio (cfr. Lachmann, Lucr. comm. p. 371), 15 inquid — inquit, 17 mimorum — minorum, 19 idem — id, 21 positum est — positumst, 24 breuiper — breuiter, at — ad, 25 dicto — dictio, 27 ethologorum — ethogorum, 31 dicatior — dicacior, 35 **Rogabo** — (om.). —— 278, 22 continet — continentur, 31 **in** te—te, 33 deuors. — diuers., 279, 17 tuor — tueor, 28 quis — qui, 280, 28 fertur — fertus, 281, 8 aut male — ut male, 15 committunt — non committunt, 20 memini — **minime**, 22 quom — quo, faciunt — faciant, 28 in iudicib. — iudicib., 29 contumeliosius — contumelius, 30 **ab**alienes — alienes, 33 **dicas** — (om.), 282, 12 occurunt — occurrunt, 21 quom — quod, 23 p̄ (= '**prae**') — p· (= publica), 28 possint — possent, 33 **animos** — (om.) 34 utroque — **vel** exutroque, 37 digress. — degress., 283, 17 atque — **aut**, 20 primast — prima est, 27 uel maxime — quam maxime, 35 praetex. — protex. 37 perspecta — inspecta, 284, 3 monenti — momenti, 14 dici — duci, 15 misericordia — misecordia, 16 criminationum — criminatioonem, 285, 4 hastam — hastas, 15 lamentio — lamentatio, 16 peruarae — peruarie, **narrantur** — (om.), 18 sepulchr., — sepulcr., 24 est et — est, 28 elab. — elab. est, 29 naranda — narranda (item 286, 1, 2, 3.), 31 uel **quia** — uel, 286, 6 narrare — narrari, 11 demonstrares — demonstraris, 20 tractatione — contractatione ('con' ex seq. verbo ortum est), 21 inflammandos ('s' ex antec. verb. ortum est) — inflammando, 22 qum — quum, 32 uitandae — uitanda, 37 uyncit — uincit, 287, 5 metimus — metiamur, 20 aut **in** spe aut metum — aut spe aut metu, 22 reuocandos, — reuocandus, 37 ad — **a** (in mrg. '**b**' adscr.) 288, 1 acute — acuto, 4 spectare — expectare, 13 alii qui — aliique, 21 quaeq· — q̄: q: (cfr. Wattenbach, lat. Palaeogr. p. 65), 289, 9 quid — quod, 11 quoiusque — cuiusque, 13 auris — **a viris**, 16 audi — audiri, 27 lubidum — lubitum, 290, 10 Granone — grannone, 19 quom — cum, 23 **esse** maxume — maxime, 291, 10 caecasset — caecas et,

19 facultate — facultatem, 292, 4 me non - me **nunc**, 8 qum — **cum**, adnoscim. — agnoscim., 11 **illa** tanta — tanta, 21 uoluistis — uoluisti, 293, 7 distinct. — distinxt., 13 ipse — ille, 17 nobis **esse** — nobis, 20 quam — quam **sit** (certe post 'censorio' verbum germanum intercidit, nam in utroque libro hic lacuna maior est), 22 posmeridiem — postmeridiem.

Lib. III.

294, 5 subuta — subita, 19 tam — tanquam, 295, 1 **in** ipso — ipso, 14 cycnea — cignea, 24 amplitudinis — amplitudini, 27 peruort. — peruert, 31 nefari — nefarii, 32 ciuitates — ciuitatis, 296, 3 qua est — quae est, 14 propincum — propinquum, 18 nefariam — nefaria, 19 adulescentis — adulescentes, 34 rem — rem **publicam**, 38 dimicatione — dimicatione **animi**, 297, 11 exprimetur — exprimeretur, 12 sermonem — sermoni, **non** — n. —— 314, 16 suamne — suamneque, 24 dispartiunt — dispaertiunt ('a' puncto del.), 26 quoiusque — cuiusque, 315, 1 cumq· — cum **quae**, 4 **duo** crimeina — crimeina (sup. 'n' corrupt. sign.), 18 quoi — quoin, 22 **his** — iis, 30 longumst — longum est, 35 adulescentis — adulescentes, 316, 4 procludenda ('l' del.) — procluenda, 6 nostras — nostra est (item in v. 8), 14 isdem — eisdem, 21 is — iis, 317, 7 **nec** — non, 15 trasym. — trasim, 26 hi — ii, 27 **doctores** — auctores, 32 natis — natus, 33 imperi-imperii, 36 his studis — iis studiis, 318, 5 damone — dammone, 8 elaboret — elaboraret, 11 mem. **illi** — mem., 20 repereretur — repeteretur, 22 praestabant — praestabat, ·m· — marco, 32 nulla cognitione — nullam cognitionem, 319, 17 aliqui — aliquis, 19 maximarum — maxima, 26 alis — aliis (ter) 28 **doctissimum** — (om.) 29 phythag., — phytag., 31 phithagoras ('h' alt. supra scr.) — ('h' prius supra scr.), 320, 12 malet — malit, 14 **non** supp. — supp., 20 cognitionem — cognitione, 25 et quod non id — **et id quod non**, 29 discr. — descr., 321, 4 defat. — defet., 25 dum**taxat** — dum, 322, 8 sunt

igitur — sunt, 10 inusitata — inusitatum, uetustate — uetusta, 11 cotid. — cottid., 12 poetaecum — poeticum, 20 mi **exanimato** expectarat — mihi expectorat, 24 **ut** uacarum — uacarum, incurbescere — incuruascere, 30 uites — uitis, 323, 2 haec (hic femin plur. in his libris vix inv.) — **hae**, 3 tralationis — tralationes, 8 ni habet — nihil habet, 11 occecat nigror — occaecat nigro, 17 si — siue, 23 tralato — tralatu, 25 verbis **quam propriis** et suis — verbis et suis, 29 tamen inopia — tamen copia, 31 transilire — transsilire, positae — positumet ad ('ad' del.), 324, 1 maxima est — maximast, 10 adferre — adferet, 13 non potest inesse (cum transp. sign.) — **inesse non potest**, 16 sperantis — sphirantis (sup. 'i' prius sign. corrupt.), 19 sirtim — syrtim, 20 voraginem bonorum (cum tr. sign) — **bonorum voraginem**, 22 et — e, 24 audient — audiunt, 28 comissat. (prius) — comisat., 325, 2 contatio — contagio, 3 duriora — durior, 9 quam quae (in mrg. 'quae qui') — ||| **que qui** (sc. 'neque qui' scr.), adferant—adferat, 11 aut—ut, 17 ualidae—ualide, imperii — imperi, 18 **simili** — simplici, 20 fugienda est — fugiendast, 21 aenigm. — enigm., 26 est uerbum — st uerbum, 29 tuos hos (8 litt. desunt) sunt — tuos hostis testes sunt, 326, 2 et vita et virtus (cum tr. sign.) — **et virtus et vita**, 6 enunc. — enunt., 8 aedificiis — aedificis, ac tecta — **aut** tecta, 11 tamen etsi — tam etsi, gesta est — gestast, 15 dictum est — dictumst, 20 cum — **quae**, exposui — posui, 26 illustrat orationem notat et (transpos. sign. pos.) — **notat et inluminat orationem**, 30 asperiorum concursus — asper concursus eorum (cum transp. sign.), 32 lepidi — lepidis (cum sp. parv.), 34 lepide exis — laepidae ex iis, tesser. — teser., 35 artae — arte, 327, 9 uersus — uorsus, 11 nobis **esse** — nobis, 14 princeps — primus, 26 et id spiritu — et id **quod dicit** spiritu, 31 solut — soluta, 34 sequatur — consequatur, 328, 2 formam; — formam, 3 temus — tenemus, 12 lunam — luna, 24 antemna — antenna, 329, 5 artis cum — artis **alius nam** cum, 6 frequentem — frequenter, 7 uoster — uester, 10 spondi — **et** spondi, 15 consec.

— consequ., 23 **si** quirites — quirites, 24 sullaba — sillaba, 33 modis — modi, 34 procrior — procerior, 35 dithyranbus — dithyra**m**bus (in marg. 'ran'), quoius — cuius, 330, 7 **in** contin. — contin., 10 anni — a**m**ni, 26 pro **me** — prope, 33 oratiost — oratio est, 34 rithm. — r**y**thm. 331, 1 utendu st — utendu**m**st, 3 oratio est — oratiost, 8 distin**c**te — disticte, 29 adhi**bi**ta — adhi (pag. fin.) ta, 30 admiret**ur** — admiret, 35 a natur || — a natur**a**, 37 earum — earum **rerum**, 38 funditus — funditur, 332, 7 mirabilest — mirabile est, 13 neglecta — negleta, 20 a**p**tum — apertum, 333, 3 is — iis, uors. — uers., 5 **quod** — quod hoc, 10 transl. — tral., 11 cum — com, 13 frequentandam — frequentand**a**, 14 co**m**mor. — comor., 17 ut is — ut **i**is, 20 **quam dixeris** — (om.), 28 (om.) — **quae est . . . tractatur,** 30 **u**l (i. e. 'uel' prius) — al (utrimque per 'l' sup. part. lineola ducta), 334 3 discr. — descr., 17 inter **se** — inter, 335, 15 perin**de** — perin, 23 ab eo est postridie — est postridie ab eo, 29 tanto op. — tantop., 34 haec **id**eo — haec eo, 336, 11 ab **h**is — ab iis, 12 intermissio — intermiss**o**, 22 **hoc** — (om.), 23 atreis — atre**u**s, **plenum . . flexibili** — (om.), 29 sec. — sequ, 337, 3 terrib. — tērrib., 8 atre — atre**um**, adtract. — attract., 10 miscendus**t** — miscendu**m**, 15 cum a te — cum **ad** te, 18 quam — qu**a**, 22 uniuors. — uniuers., 24 seb — se**d**, **a**palestra — palestra, 26 brach., — bracch., 29 **quidem** magnopere — mago opere, 33 coniu. — conniu., 338, 21 magno op. — magnop., 29 **sibi ille** — ille sibi, 35 quia mea tecla — **quam ea tela**, 339, 3 quoque — quo**i**que, 7 **quiddam** — (om.), 28 illu**m** — illo (corr.), honestumst — honestum est, 30 curamque — cur**a**que.

Haec sunt, quae discrepant. Profecto ea, ex quibus non tam alterutri alterum in iis partibus, quas communes habeant, praestare, quam inter se ambos adiuvare perspicitur. Unde fore, ut in iis partibus, quas ex mutilis solus servaverit Harleianus, Harleiani auctoritas augeatur, certe spero.

Nunc ad singulos locos adgrediamur, quos qui hodie sunt grammatici aut non tractaverunt aut minus bene nobis videntur tractasse. Signa, quae adhibebuntur, ex Ellendtii apparatu aut Orellii satis nota sunt. Lectiones autem, quas omnes mutili aut maior mutilorum pars praebent, littera M, Omniboni editionis meae littera O significabuntur. Omnium aut ceterorum codicum consensus erit C.

Lib. I.

In libri primi exordio Cicero illos fortunate beateque vixisse dicit, qui eum vitae cursum tenuissent, ut vel in negotio sine periculo vel in otio cum dignitate esse possent. Tum haec: *Ac fuit, cum mihi quoque initium requiescendi atque animum ad utriusque nostrum praeclara studia referendi fore iustum et prope ab omnibus concessum arbitrarer, si* etc. Haec hodie lectio vulgata est, quam olim Grutero et Marklando probatam Ellendtius ex Pal. 1 et Z eruit. Sed H, E I, U *fuit quod,* E II *fuit (quod* post *referendi* inseruit), lg. 2 a (i. e. prior manus) Gu. 3 *fuit qui,* lg. 2 b (i. e. altera manus) 4, 13 *fuit quidem,* lg. 32 *nunc quidem* (in rasura), idem R et O habent. Alii *fuit quidem cum* aut *fuit tempus illud cum* similiave praebent. 'Quidem' ex male intellecto 'quom' ortum esse Ell. censet. Non accedo. Nam quis est qui nesciat, quam aegre quod prorsus a re publica removeretur Cicero tulerit, qui se cum auctoritate rerumque gestarum gloria haud sine periculo parta post consulatum sapientiae laude i. e. otio cum dignitate perfrui posse speraverat (cfr. Brut. 8 et 9) et qui id otium praestantissimum maximeque optabile omnibus sanis et bonis et beatis esse professus est (pr. Sest. 98), ad quod qui rem publicam administrarent, eos semper spectare debere a se saepissime dictum esset (epist. I, 9, 21). Itaque hoc loco eum sibi nihil nisi requiescendi initium atque animum ad studia referendi concessum fore se arbitratum esse dixisse non verisimile est. Sane requiescere exoptaverat, at cum dignitate, otio perfrui voluerat, at honestissimo. Quod ut audiamus, artius antecedenti hanc enuntiationem accommodari opus erit. Scribamus igitur: *Ac fuit cum idem mihi quoque initium requiescendi* etc. Ita qua ratione illa, quam dedimus, lectionum varietas exorta sit, facillime perspici potest.

§ 3. *Sed tamen in eis vel asperitatibus rerum vel angustiis temporis obsequar* etc. C. Non est cur *in his* cum Pideritio scribatur, quippe quod ab omni Ciceronis humanitate abhorreat. Fuerant asperitates, fuerant angustiae temporis, postquam cum summa populi gratulatione patriae redditus est. Deinde eorum, penes quos res publica tum erat, intima familiaritate eum usum esse ex epistolis illius temporis ad Atticum et ad Quintum fratrem datis satis discimus.

§ 7. *Quis autem dubitet, quin belli duces ex hac una civitate praestantissimos paene innumerabilis, in dicendo autem excellentis vix paucos proferre possimus?* H, E I, E II, lg. 32, tres Wolfenbuttelani, R, O, Lamb. confirmant. Optima collocatio verborum est, ex qua 'ut ceteras omittam' subauditur. Vulgata lectio, quam tacite Ell. dedit, *praestantissimos ex hac una civitate* quin aliis quoque Lagomarsinianis repüdietur, non dubito. Facilius haec quam illa transpositio fieri potuit.

§ 8. *Jam vero consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publicam possint, multi nostra, plures patrum memoria atque etiam maiorum exstiterunt* H, E I, E II, U, lgg. omnes. 'Possint' ad 'nostra memoria' accommodatum Ell. laudavit, quod editores reiecisse miror. — Eadem in paragrapho *Ac ne qui forte cum aliis studiis, quae reconditis in artibus atque in quadam varietate litterarum versentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude aut cum boni senatoris prudentia comparandam putet, convertat animum ad ea ipsa artium genera circumspiciatque, qui in iis floruerint quamque multi sint: sic facillime quanta oratorum sit et semper fuerit paucitas indicabit* scribo et distinguo. Nam *qui*, quod ante *convertat* Ell. ex XVI codd. inseruit, quorum quidem lg. 2, 13 boni sunt, H, E I, E II, lg. 32a, 36a omittunt. Cfr. Vassis lib. p. 30. Deinde *floruerint* H testatur idemque post *multi* litteram 'f', quam altera manus delevit, unde tamen facillime *sint* restituatur. Tum *quamque*, quod antecedit, praeter lgg. 2, 13, 36, Gu. 3, quorum hic *quam tamen*, illi *quam* habent, omnes codices tuentur. Denique *et semper* H, lgg. 4, 16, 32a, 36a, 76 defendunt. In E I, E II, *semper*, in C *semperque* exstat.

§ 15. *Excitabat eos magnitudo varietas multitudoque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio*

adsecutus esset, adiungeretur usus frequens etc. vulgo legitur. Multo melius est, quod H, E Ib, lgg. 23, 37, Gu. 1, 2, ε, per *quu* 81 testantur, Lambinus probavit, *consecutus*. Nam auditis oratoribus Graecis cognitisque eorum litteris adhibitisque doctoribus absolutam quandam Romani doctrinam sibi comparaverant, quam velut congestam possessionem tenuerunt et terminatam, ad quam, quo eloquentia gradatim alta est, usus frequens accedebat. Cfr. Haacke, Lat. Stil. § 55.

§ 18. *in qua* (sc. actione) *cum omnes in oris et vocis et motus moderatione elaborent, quis ignorat quam pauci sint fuerintque, quos animo aequo spectare possimus?* Ell. haec: *ignoret* Lg. XX, sed optimus nullus. Ac tamen Vassis e lg. 32 *ignoret* adnotat. Idem H, E I, E II tuentur. Est graece *τίς οὐκ ἂν εἰδείη*.

§ 28. *Nam me haec tua platanus . . . . et quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abiceret in herba atque ita (illa), quae philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur* etc. Pronomen 'illa' quod codicum bonorum nullus fere confirmat, recte ut superfluum et post 'ita' insuaviter sonans Schuetzius eiecit.

§ 31. *Quid enim est aut tam admirabile, quam ex infinita multitudine hominum existere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus vel cum paucis facere possit?* Cum H, E I *perpaucis* scribi malim. Nam et supra et hic quanta exiguitas oratorum perfectorum semper et fuerit et sit Cicero admonet.

§ 33. *Ut vero iam ad illa summa veniamus, quae vis alia potuit aut dispersos homines unum in locum congregare aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere aut iam constitutis civitatibus leges, iudicia, iura describere?* libri plurimi, sed non optimi habent. Nam *ad* in H, E I alterae manus supra scripserunt, priores et lgg. 13, 36 omiserunt, *in hunc* E II, lgg. 16, 32a, 70, 73, Gu. 3 testantur, quarum utra praepositionum huic loco melius conveniat, enucleare conemur. Tres nostri locos simillimos in libr. de inv. I, cap. 2, in or. pro Sestio cap. 42, in Tusc. disp. libr. V, cap. 2 reperiuntur, quorum illis primis viros quosdam sapientes et eloquentes, tertio philosophiam ipsam homines in societatem vitae convocasse, urbes condidisse, ut divinum ius et humanum colerent fidemque et omnes omnino virtutes sequerentur ad-

monuisse Cicero docet. Et enim ut deam et magistram eloquentem sapientiam homines in unamquamque rem honestam utilemque inducere, per totam vitam, per omnes aetates comitatam esse et comitari. Sane ita est. Nam humanus cultus et civilis non absolutus aut perfectus est, quam subito genus humanum accepit, sed pedetemptim acquiritur. Melius igitur *in hunc* legemus. Deinde cum verba *constitutis civitatibus* antecedant, *discribere,* quod H [1] firmat, scribi malo quam 'describere'. Nam leges, iudicia, iura in constituendis civitatibus describuntur, in constitutis generatim in ordines aetatesque discribuntur. Facile post 'iura' inventa subaudimus. Item *discribere* scribo III, 76.

§ 34. Extrema hac paragrapho Crassus Cottam et Sulpicium adulescentes ut cum summa diligentia eloquentiae operam dare pergant admonet. Verba sunt haec: *Quam ob rem pergite, ut facitis, adulescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori et amicis utilitati et rei publicae emolumento esse possitis.* Quamquam nuper homo quidam doctus in Ciceronis rhetoricis optime versatus me 'vobis honori esse' idem significare quod 'vobis honorem parere' per litteras docere studuit, tamen, priusquam exemplis aliunde haustis melius didicero, 'hominem quendam sibi honori esse' recte latine dici persuadere mihi non possum. Atqui similiter dicta legimus in Or. § 142 'sin ea' (sc. eloquentia) 'non modo eos ornat, penes quos est, sed etiam iuvat universam rem publicam', deinde in libr. de inv. I, § 5 'Nam hinc' (sc. ab eloquentia) 'ad rem publicam plurima commoda veniunt, si moderatrix omnium rerum praesto est sapientia; hinc ad ipsos, qui eam adepti sunt, laus, honos, dignitas confluit; hinc amicis quoque eorum certissimum et tutissimum praesidium comparatur'. Ergo duas litteras deleamus, quo his locis illum locum adaequemus, ut 'id studium' sive 'eloquentia' res subiecta sit: habebimus *possit.* Cfr. § 117.

§ 37. *An vero tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse aut Sabinorum coniugia coniunxisse aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur, non consilio et sapientia singulari?* codices vetustissimi et optimi habent. Vulgo *conubia* legitur. At enim cur nihil aliud nisi matrimonia hoc loco cogitare necesse est, quae Romulus non tam consilio et sapientia quam vi ac latrocinio con-

fecit? Id mihi dicere Ciceronem voluisse persuasum est, Romulum consilio et sapientia singulari effecisse, ut Sabini cum Romanis civitatem unam ex duabus facerent, sacra communicarent, regnum consociarent. Nam coniugia omnes eae res appellantur, aut quibus quae disparata erant in unum congregantur, aut quae ex separatis congregatae sunt. Neque dubium est quin, quod aut exempli causa aut ut fabellae illi notissimae satisfaceret adscripserit aliquis aut corrigendo se restituisse putaverit, id, quod maxime notum erat, facillime veram et simplicem lectionem loco suo pellere potuerit. Cfr. Liv. I, c. 13, Cic. de rep. II, § 13.

§ 39. *quid? auspicia, quibus et ego et tu, Crasse, cum magna rei publicae salute praesumus* usque ab Lambino omnes fere editores scribunt. Sed *et* prius in H, E I, E II, Gu. 3, lgg. XXIII, R, O deest neque, quod in lg. 32 deesse Vassis certe confirmat, id in lgg. 2 et 13 adesse credo. Jam Schuetzius delevit. Deinde *Crasse* H, E I, E II omittunt, in lg. 32 altera manus addidit, cuius in loco Vict. *Scaevola* habet. Atque ne Omnibonus quidem illud nomen cognovit. Ergo recte *quibus ego et tu cum* etc. scribemus.

§ 40. *Equidem et Ser. Galbam memoria teneo divinum hominem in dicendo et M. Aemilium Porcinam et C. ipsum Carbonem, quem tu adulescentulus perculisti, ignarum legum, haesitantem in maiorum institutis, rudem in iure civili; et haec aetas nostra praeter te, Crasse, qui tuo magis studio, quam proprio munere aliquo disertorum ius a nobis civile didicisti, quod interdum pudeat, iuris ignara est* legitur. Verbo *nostra* Vassis recte offenditur. Nam duae aetates coniunctione 'et' ante *Ser.* posita, ante *haec* repetita, quarum altera Crassi eiusque aequalium, altera Galbae, quocum Mucius vixerat, est, collocantur et nominibus Porcinae et Carbonis conectuntur, ita ut cum alia Crassi, alia Galbae sit aetas, *nostra* addi non potuerit. Ac tamen cum Vassi hoc pronomen plane delere dubito, quia littera una 'n' in 'u' mutata *ūra* i. e. 'vestra' habebimus, quod Harleiano confirmatur, speciosa autem haec lectio est. Nam ut a Scaevola aetas, in qua ipse vitam degit, *haec* recte dicitur, ita *vestra* addi potuit, quo, in qua aetate iam senex negotiorum reique publicae particeps non sit, hanc Crassi eiusque aequalium esse optimo iure confirmat.

De 'aetatis' voce cfr. Br. 220, 229, 230, 231, Fleckeiseni ann. 1873, p. 848, 1880, p. 139.

§ 42. *Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritii ceterique in suo physici vindicarent* codices optimi plurimique offerunt. Qua de causa *in iure sua*, quod olim Pideritius in Fleck. ann. 1857, p. 840 probavit, quam *sua in iure* scribi malo. — Verba, quae sequuntur, num grammatici eleganter suppleverint, valde dubito. Scribuntur hodie haec: *ornati homines in dicendo et graves, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret.* Sed cum *ornati* M omittat, *homines* nullus codex testificetur, *in* H [2] supra scripserit, ut verba pauca satis confirmata restent, quorum ut sententiam mediocriter bonam acciperent, *et* H [2], E I deleverunt, E II praeteriit, *ornati homines* delendum esse, *in dicendo et graves,* quod in margine adscripsit aliquis, ut verba *agerent omnes* interpretando suppleret, uncis includendum esse censeo. Neque enim satis perspicuum est, cur Pythagorei, Democritii, ceteri physici tam honorifice appellentur, ii qui sequuntur eodem ornamento careant.

§ 50. *Et enim videmus iisdem de rebus ieiune quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse neque ob eam rem philosophiae non satis fecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte aliena facultatem* usque ab Aldo plerisque scribere placuit, quod, quamvis hoc loco lectionum plurima varietas sit, probaremus, nisi simplex ac vera lectio *in hac dicendi arte aliena facultatem* in H et E I servata esset. Item *in hac* E II, lg. 32, U, Z, γ, ε Cant. Gonv. habent, praepositionem *ex* omittunt, quam eandem in lgg. 4, 13 deesse confirmatur. — Paulo post vetustam collocationem *ubertatem in dicendo,* quam H firmat, praefero.

§ 53. *Quis enim nescit maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut ad odium aut ad dolorem incitandis vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis?* vulgata est. *Maxime,* quod unus lg. 32 servasse Vassi videtur, H, E I testantur. Ita scribendum esse ex § 219 homo doctissimus docuit. Neque minus, quae verba antecedunt, *fatebor equidem in his magis adsidue versari hanc nostram dictionem* adverbium *maxime* confirmant. Deinde *vel ad iram vel ad*

odium H, E I, E II, lg. 32, R, O, *aut dolorem* et eidem libri et ceteri fere omnes habent. Itaque quae verba lenitati misericordiaeque sola respondent, *vel ad iram vel ad odium* retineamus, *aut dolorem* deleamus. Cfr. Br. 188, Or. 133.

§ 59. *qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne deposuerunt* H, E I, E II, lg. 32 habent, sc. ut nihil aliud restaret, quod eorum intererat. Quamquam *studium deponere* recte dici exemplis confirmare non possum, tamen lectio mihi commemoratione digna videtur esse.

§ 61. *inlustrari autem oratione si quis istas ipsas artis* (sc. physica et mathematica aut eiusdem generis alia), *velit, ad oratoris ei confugiendum est facultatem* H, E I, E II, Vict. (*inlustri*) testantur. In ceteris *inlustrare* scriptum est, cui alterum exemplum, quod sequitur, *Nec, si huic M. Antonio* etc. repugnat.

§ 65. H *cognorit* habet, idem ex *cognovit* E I correxit, *cognoverit* (vel *agnoverit*) C defendit. Cum utramque formam in § 67 omnes tueantur, utra cum parte hic faciamus, haesito. Nam syllaba *ve* non minus facile addi quam praeteriri potuit. In § 69 et III, 123 *cognorit* praefertur. — Certe autem eadem in paragrapho *quorum hae sint artes* ex H, E II scribere debemus, cum in praesenti et tota oratione tractentur. Ad idem pronomen *hec* in lg. 2, *he* in lgg. 3, 4, 13, 14, 21, 32, 35, 67, 69 ducunt. Vulgata *eae* est.

§ 66. *sin de iure civili* (sc. dicendum huic erit Sulpicio), *tecum communicabit, te hominem prudentissimum et peritissimum in iis ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte superabit* Nonius, codices fere omnes, editiones antiquissimae confirmant. Ex paucis, quorum bonus nullus est, *teque hominem* usque ab Lambino recipi solere video, *atque hominem* nescio unde Kayserus scripsit. Sed cur conectere, quae dissoluta gravius sonant, gravius sonare convenit, cum Scaevolae ipsi nunc Crassus verbis instet?

§ 71. *Nam quod illud iure, Scaevola, negasti te fuisse laturum, nisi in meo regno esses, quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum esse debere: numquam mehercule hoc dicerem, si eum, quem fingo, me ipsum esse arbitrarer.* Ita scribo et distinguo. Codices plerique *namque illud quare,* E II, U, lgg. 3, 4, 13, 32, 67, 69 *nam illud quare,* Tosanus

ap. Grut., Manutius, Talaeus *nam quod* praebent. Cum verba ad § 41 spectare apertissimum sit, *iure* carere nolo. Cfr. Fleckeis. an. 1874, p. 859.

§ 74. *Id enim ipsum, quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut mihi, quas ego velim, non esse oratoris, concederes et ea ipsa* etc. H, E I, E II, lg. 32a. Lectio commemoratione digna est. — Paulo post *cum summo illo doctore* H.

85. *Omnis enim partis illius ipsius prudentiae petendas esse a philosophia docebat neque ea, quae statuerentur in re publica de dis immortalibus, de disciplina iuventutis, de iustitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraque, sine quibus civitates aut esse aut bene moderatae esse non possent, usquam in eorum inveniri libellis.* Egregiam lectionem *moderatae* H unus videtur servasse, nisi quod in E I altera manus *morantae* (cum linea per litt. *n* ducta) in *moderatae* recte mutavit. Nam Menedemus ante de prudentia, quae in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum rerum publicarum versaretur, dixerat. In C *moratae* esse fertur.

§ 87. *illius esse prudentiae,* deinde *esse arbitrabatur* H.

§ 88. *quae negaret ille sine philosophia quemquam nosse posse* codices plurimi, *noscere posse* Vict., *scire posse* deteriores et R et O. In E II *ñ* (i. e. non) *posse* scriptum est. Unde quo modo *nosse posse* exortum sit, satis perspicitur. Duae enim in archetypo lectiones altera fortasse supra alteram scripta erant, quae in unam confluxerunt. Deleo igitur *nosse* et ex verbis, quae antecedunt, *consequi* subaudio, nam exitus verborum *nosse posse* pessime cadit. Cfr. § 84 et 93.

§ 90. *quod consuetudo exercitatioque et intellegendi prudentiam acueret atque eloquendi celeritatem incitaret* M (pr. 13?), lg. 84; *et eloquendi* C habet. Facilis haec mutatio videtur esse. At unde illud *atque?* Potius *et* prius, quod litteris E et I genitum est, delendum esse censeo.

§ 91. *Quorum alterum ego illi facile adsentiebar* etc H. Verborum collocatio varia est. Nam *ego alterum illi facile* M, lgg. 3, 67, *ego illi alterum facile* R, *ego illi facile alterum* O, *ego illi*

alterum facile C. Quam collocationem H praebet, ea simplex atque vera videtur esse.

§ 93. *Quid multa? sic mihi tum persuadere videbatur* etc. vulgo legitur. Sed in M, lgg. 3, 67, 69, 84, Vict. *persuaderi* exstat, quod multo melius est, cum 'mihi' ad 'videbatur' pertineat, post 'tum' autem facile verba 'et Charmadae et ceteris Academicis Stoicisque' subaudiantur. Et enim Antonius cum verbis *Quid multa?* incipiat, quid Athenis tum homines illi doctissimi de facultate oratoria senserint, se comprehensurum esse demonstrat. Haec demum complexus quid ipse senserit, i. e. se hac eadem opinione qua illos ductum esse addit. — Eodem hoc in verborum conexu Sorofius ex E I *ab doctissimis* scripsit. In H, E II *a doctissimis* exstat, quod cum Ell. nihil adnotet, ceteri omnes videntur habuisse. Ac tamen in leg. 32 *ab doctissimis* legi Vassis scribit. Inde videmus, quam difficile codicibus Italicis denuo et diligenter non collatis eae res diiudicentur.

§ 95. *paulum huc aliquid*, quod ex lg. 32 sumptum Vassis laudat, H, E I, Gu. 3 confirmant.

§ 97. *cum et per me ipsum egissem*, non *memet ipsum* H E I, E II, lgg. 65, 67, 69, 70, 76, 81, 84, 86, 93, R, O, Vict. Lamb. praebent. Illud etiam in lg. 32 legi Vassis dicit. Qua de causa dubitari potest, num *memet* in C inventuri simus.

§ 99. *Nam me quidem [fateor semper] a genere hoc toto sermonis refugisse et tibi cupienti atque instanti saepissime negasse, [ut] tute paulo ante dixisti.* Quae verba uncis inclusimus, ea ab optimis libris absunt. In E II ea exstare Ell. errore deductus dicit neque in lg. 32 prima manu scripta sunt. Itaque valere ea iubemus. Sunt enim eorum, qui libros non tam emendare studebant quam exornare.

§ 100. *Quoniam [id], quod difficillimum nobis videbatur, ut* etc. vulgata est. Pronomen *id* H, E I, E II omittunt, quod ex Ell. silentio in eius codicibus adfuisse concludimus. Ac tamen id in lg. 32 deesse Vassis docet. Uncis inclusum igitur tenebimus, quoad testes certi fidem faciant.

§ 105. *Gerendus est tibi mos adulescentibus, Crasse, qui non Graeci [alicuius] cotid. loqu.* etc. Pronomen *alicuius* H, E I, E II,

Gu. 3, lg. 32a omittunt. Optime. Ad Staseam enim nomen gentile spectat. Cum ante in § 102 *alicui Graeculo*, in § 104 *Graecum aliquem* legatur, facile fieri potuit, ut librarius quidam tertio loco id repeteret, quod scriptor illi nomini supra addidit. Cfr. II, 75.

§ 106. *qua nunc te uti vel maxime decet neque defugere* etc. M aliique. Pro *decet neque* in nonnullis quidem optimorum *denique* legitur, ex quo tamen cur altero *te* omisso *decet te neque* corrigi debeat, non video. Hoc nescio quo auctore recentissimi editores probaverunt.

§ 107. *sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbis controversia posita*, quod Ell. laudat, M confirmat.

§ 108. *ut paulo ante exposuit Antonius* vulgo legitur. Sed *deposuit* M (pr. 4), lgg. 3, 67 habent. Cum lg. 20 *posuit* probandum esse iam Vassis vidit. Unde error exortus sit, facile noscitur.

§ 111. *unus ex togatorum* melius codices testantur.

§ 115. *Neque enim haec ita dico* uno fere consensu codices. Ac tamen secundum lgg. 81, 84, 85 *enim* editores omittunt, quod statim *neque enim ignoro* sequatur. Minime in hac colloquendi ratione ea offendere debent. Duos ita incipientes verborum conexus breves in Cornificii libr. II, § 45 videas. Illa ultima Ciceronis verba excipiunt haec: *et, quae bona sint, fieri meliora posse doctrina et, quae non optima, aliquo modo acui tamen et corrigi posse.* Sed in H, E I, Gu. 3, lg. 32a *optima non* reperitur. Mihi post *non* verbum *sint* intercidisse persuasum est; quo facto librarii transposuerunt. Scribamus igitur *quae optima non sint* etc.

§ 117. *Quis enim non videat* H, E Ib, R, O.

§ 118. *idcirco nos hic, quod quaerimus, omittemus* H, E I, lg. 32a. In C *hoc* videtur fuisse. Utrum praeferrem, haesitarem, nisi facilius *hoc* ex *hic* hoc loco quam contrarium fieri potuisse arbitrarer.

§ 119. *et in ordienda oratione perturbantur* H, E I, E II, lgg 13, 32. Cfr. § 98. Vulgata lectio *exordienda* est.

§ 120. *Qui vero nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere atque edere, is mihi, etiam commovetur in dicendo, tamen impudens videtur. Non enim p*

dendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus omnes editores recipere non dubitaverunt. Ac tamen vereor, ne quis homo doctus, ut lacunam expleret aut id, quod sequitur, interpretaretur, *pudendo* adscripserit. Nam pudere est id non facere, quod non decet. Deest autem in H, ubi post *enim* duodecim vel tredecim litteris spatium vacat, item in E I et E II, qui *faciendo* habet. In Gu. 3, quem Abrincensis simillimum esse constat, *pudendo, sed non* omissum est. In lg. 32 *non enim faciendo* prima manu scriptum, altera *solum* additum, tertia denique id, quod hodie legimus, confectum esse a Vassi discimus. Qua de causa persuadere mihi non possum Lagomarsinum hunc locum in suis diligenter inspexisse. Iam vero in H margine altera manu et priori paulo aetate inferiore *faciendo solum quod decet* adscriptum legitur, quod is, qui Erfurtensem transscripsit, ex illo recepit. Fieri porro non potuisse puto, ut in Gu. 3 vel potius Abrincensi et in lg. 32 verba *sed non,* quae H servavit, negligerentur, nisi 'faciendi' verbum praecessisset. Recte igitur in eorum quoque archetypo *Non enim faciendo solum quod decet, sed non faciendo id, quod non decet* scriptum fuisse concludemus, quod non est cur reiciamus. Nam facere quod decet, hoc loco est commoveri, non facere quod non decet, id est indignum re, nomine oratoris, auribus hominum non efficere aut edere. Cfr. Or. § 71.

§ 121. *ut et exalbescam* E I, *ut exalbescam* C. Qui nuper H contulerunt, eorum neuter quidquam adnotavit. Ac tamen etiam in H *et* fuisse ex Erfurtensi, qui id servavit, suspicamur. Facile ante *ex* evanescere potuit.

§ 122. *ceteros summos oratores* M (pr. 2, 32b, Gu. 3), U, Z aliique. Lamb. probavit. Ex nonnullis deterioris notae codicibus et R (O) *ceteros oratores summos* Kayserus sumpsit.

In paragraphis, quae sequuntur, E I deficit. Quae deerant, saeculi XIV manus supplevit. Haec littera 𝔈 notantur.

§ 123. *ne tum accideret* vulgo legitur. Sed *ne illo ipso* H, Z, lg. 32a, Gu. 3 habent. Huic *tempore* adscriptum est, quod quin in illis intercidisse coniciamus nihil impedit. Ergo ne *illo ipso tempore accideret* recipiemus. Ceteri *tumne, netum, netum*

illud ipsum, ne illud ipsum, ne tum ipsum, ne tum illo ipso, ne ipsum similiave praebent.

§ 125. *cuius autem in dicendo quid reprehensum est, aut aeterna in eo aut certe diuturna valet opinio tarditatis* vulgata est. Quid offensionis? dixerit fortasse quispiam. At *reprehensus* in lgg. 2, 4, 5, 6, 14a, 65, Vict., Z exstat. Idem H, lg. 32a habet, ex quibus iisdem quae vera lectio sit, discimus. In his enim *qui autem*, quod in E II quoque resedit, servatum est. Scribamus igitur *qui autem in dicendo quid reprehensus est* etc. Cfr. III, 70 'quod arguare' et 146 'qui non cito quid'.

§ 126. *orator aut natura* H, *orator a natura* C. Fortasse *orator ab natura* legendum est.

§ 128. *In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum* ex lgg. 17, 23, 85 usque a Lambino editores retinuerunt. Ceteri omnes *sententia* habent, quod qui quam facile cum 'scientiae' voce potuerit mutari, intelleget — nam hoc *scĩa*, illud *snĩa* per compendium scribebatur —, is facere non poterit, quin *scientia* ex U, qui solus verum tuetur, recipiat. Cfr. § 20.

§ 158. *omnium bonarum artium doctores atque scriptores legendi et pervolutandi* etc. Sic ex M, lgg. 3, 37 Ell. se vulgatam *et legendi* optime correxisse censuit. In 𝔈, quod aperte falsum est, *et perlegendi* exstat. Nam verbum huius significationis, quae pervolutandi studio antecedat, hoc loco poscimus. Id unus H servavit. Est *eligendi*, quod quam facile in *et legendi* corrumpi potuerit, plane perspicuum est. — Verba illa excipiunt haec: *et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi;* etc. Nuper, ut *interpretandi* et *corrigendi* delerentur, *comprobandi* eorum loco insereretur, Vassis admonuit, quod interpretari et corrigere scriptores non esset oratoris, sed grammatici. Homo ille doctus haec exercitationis causa apud dicendi magistros tractata esse non vidit. Neque tamen locus emendatus erit, nisi, quod verborum concinnitas, quorum bina composita sunt, poscit, *refellendi* expunxerimus. Hoc M omittit. — Paulo post hodie ita scribere placet: *et, quicquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum [atque dicendum] ; perdiscendum ius civile* etc. Ego *di-*

cendum, ut altera lectio esset, super *perdiscendum* scriptum fuisse ratus *eliciendum atque perdiscendum* scribere malo. Ita tertia haec series secundae adnectetur, ut haec primae coniunctione 'que' adnexa est. Sequitur quarta verbis *libandus etiam ex omni genere* etc., in qua *est*, quod post 'libandi' verbum inseri solet, facile ex praecedenti *cognoscenda est* subaudimus. In M (pr. 2), lg. 3, 6, 67, Vict. illud non exstat.

§ 161. *Itaque nec hoc possum dicere, me omnino ignorare quid possideat, neque plane nosse atque invidisse* M (pr. 4), lgg. 3, 67, Gu. 3, O. An *me vidisse?*

§ 162. *Quin tu igitur facis idem, inquit Scaevola, quod faceres, si in aliquam domum plenam ornamentorum villamve venisses* aut *vel in villam venisses* etc. in editionibus scribitur. Illud quamquam nullis in libris manu scriptis invenitur, tamen veri speciem magis videtur prae se ferre quam hoc, quod praeter lgg. 3, 67, 93 nusquam prima manus scripsit. Nam plerique *in villam* aut *villam*, nonnulli *illam* aut *ullam* modo testantur neque *in* praepositio in melioribus prima manu scripta est. In H *vel* supra *villam* tertia manus addidit. Cum Scaevola sua Cottae verbis accommodet, qui 'villae' mentionem nullam fecit, post pleniorem dictionem hoc pusillum cum lg. 69 et Bakio delendum esse censeo. Et si Scaevola ipse 'villam' addidisset, quis est qui non videat, postea eum a mera similitudine, qua ab Cotta suscepta uti pergit, recessisse, cum vix in ulla villa ornamentorum copiam praetereuntes per transennam adspicere possent? — Paulo post *esset familiaris* H confirmat, deinde *in uno loco* habet.

§ 163. *sed tu hanc nobis veniam, Scaevola, da* (sc. ut haec, quae Crasso puerorum elementa videantur, exquiras), tum *et perfice* uno fere consensu codices pergunt.

§ 164. *meliorem gravioremque video* H. Lectio memorabilis est.

§ 171. *Quid vero ille (M.) Cato? M.* omittit M.

§ 176. *redisse dicerent* M (pr. 2, 13) *rediisse dicerent* E II.

§ 178. *Auratae* cum plurimis M (H bis).

§ 179. *exaedificari* H, lg. 15.

§ 183. *in concubinae locum duceretur* vulgata lectio est,

quae quidem elegantior videtur esse, sed *loco* H, lgg. 2, 81, 84, Vict. Gu. 1, 2, 3 testantur. Cum *divortium* praecederet, facilius hoc quam illud a librariis mutari potuit.

§ 188. *Adhibita est igitur ars quaedam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi adsumunt, quae rem dissolutam divolsamque conglutinaret et ratione quadam constringeret* usque ab Omnibono editoribus probare placuit, nisi quod Schuetzius pronomen *quaedam*, cum statim *quodam* et *quadam* sequerentur, delevit. Recte videtur fecisse, nam H, E II, Gu. 3 lg. 32a omittunt. Adsentitur Vassis, qui tamen, quod non satis me intellexisse libere fateor, ita interpretatur: 'Est enim hic ars ἡ τέχνη. Graece sic fere interpreteris: ἔξωθεν οὖν ἐξ ἄλλου του γένους ἡ τέχνη προςεγένετο.' Nam vide, quaeso, quae antecedunt. Crassus nihil esse quod ad artem redigi posset, nisi ille prius, qui illa teneret, quorum artem instituere vellet, haberet illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum esset, artem efficere posset, dixerat. Quod ut planius exponat, omnia fere, quae essent conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuisse addit. Sequuntur exempla, quae illa verba *Adhibita est igitur ars* etc. excipiunt. Iam vero quae est haec ars? Num dialectica, quam esse Schuetzius et Pideritius voluerunt? At ex hac ipsa illam artem adhibitam esse Crassus confirmat. Unde tum subito haec nova 'artis' significatio, quam nemo, qui quae illa ante esset intellexit, facile inveniet? Si vere hic locus sanus est, Crassus adeo non plane quod voluit dixit, ut obscurius quam quae paulo ante breviter dixerat, haec ab eo dicta sint. Mea quidem sententia haec fere dicere debuit: *Adhibita est igitur, ut ars efficeretur, scientia extrinsecus* etc. vel potius, cum complures disciplinas enumerasset: *Adhibita est igitur, ut artes efficerentur, scientia extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi adsumunt, quae res dissolutas divolsasque conglutinaret et ratione quadam constringeret.* In H, E II, lgg. 4, 13, 36 *et extrinsecus* exstare, H, E II, Gu. 3, lg. 32a *ex*, quod sequitur, omittere adnoto.

§ 189. *Genus autem id est, quod [sui] similis communione quadam, specie autem differentis, duas aut pluris complectitur partis.* Cum *id est* H, E II, lg. 32, R, O testentur, in Gu. 3 omnibusque

lgg. (pr. 2, 3, 14, 36) *est idem* exstare confirmetur, illud praefero. Nam *est idem* e lectione per compendium scripta *est id est* ortum esse luce clarius est. Neque, cum in lg. 32 *id est* esse Vassis affirmet, quod Lagomarsinus negavit, ex ceteris hunc verum notasse credo. Deinde *sui* H, E II, lg. 32a recte omittunt. — *Partes autem hae sunt* secundum Gu. 3 cum Schuetzio scribere valde arridet. Nam hoc pronomen post *autem*, quod per compendium similiter scribebatur, facile perire potuit.

§ 190. *quod iam [diu] cogito.* In codicibus optimis *diu* abest. Nihil refert. Deleamus.

§ 191. *Atque interea tamen, dum haec, quae dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem et colligentem undique replere iustam iuris civilis scientiam* secundum optimos libros scribi malo quam *repleri iusta iuris civilis scientia,* quod aliis placuit. Nam qui carpit et colligit, is ipse scientiam suam replet.

§ 192. *Omnia enim sunt* etc. H, 𝕰, lg. 32 (corr.), R, O.

§ 193. *Nam sive quem Aeliana studia delectant, plurima est in omni iure civili, et in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod* etc. scribimus. Nam *haec*, quod ante *Aeliana* hodie legitur, optimi codices omittunt. Potuit addi, postquam *Aeliana* in *aliena* (C) corruptum est. Item *et* post *est* illi ignorant.

In paragraphis, quae sequuntur, omnes codices optimi deficiunt.

§ 209. *Tum Crassus: Perge modo, inquit, Antoni* vulgo legitur. Sed *perge inquit modo* lgg. 14, 15, 81, *inquit perge modo* lgg. 69, 93, R, O. Collocatio verbi *inquit* tam varia est, ut germanum id esse vix credam. Deleatur malim. Cfr. § 29 et 263, III, 18.

§ 210. *Nam si forte quaereretur, quae esset ars imperatoris, constituendum putarem principio quis esset imperator* vulgata est. At non persona, sed munus eius quod sit interrogatur. Scilicet, quod sequitur, administratio belli est. Scribamus igitur, quod in 𝕰 aliisque multis lgg. exstat, *qui esset imperator.*

§ 261. *quin etiam* ut scribatur pro eo, quod in libris est, *qui etiam* in Fleckeis. ann. 1874, p. 861 suasi. Nunc, quod volui, ab Omnibono meo confirmatum video. Eodem illo loco *neque id,* quod hodie Vassis commendat, ipse commendavi.

Lib. II.

§ 10. *sed sive iudicio, ut soles dicere, sive, ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse, pudore a dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti, sive, ut ipse iocari soles,* etc. C. Miror, id quod Pearcius coniecit et homines docti probaverunt, *ut soleo dicere* hodie repudiari. Certe, si illud verum esset, tertio loco non *ipse,* sed *alias* similiave exstare optimo iure exspectaremus. Hic quamquam fortasse 'ut iocari soleo' scribendum esse in editionis suae adn. crit. Kayserus adnotavit, tamen multo aptius facete dictum, quod sequitur, ex Quinti ore mihi videtur exire.

H, lg. 36 redeunt.

§ 15. *sed tamen, vere dicam, quaevis mallem fuisset quam ista, quam dicis,* vulgo legitur. Nihil Ell. adnotavit. Ac tamen in H, 𝔈, R, O post *quaevis* exstat *causa,* quod tantum abest ut deleam, ut contra *cā* (i. e. causa) in *ea* mutandum esse arbitrer. Hoc pronomen Gu., qui a Schuetzio litt. C notatus est, retinuit. — *sum oblitus* H.

E I, E II, lgg. 2, 4, 13, 32 redeunt. A accedit.

§ 22. *verum otii fructus est contentio non animi, sed relaxatio* A, H, E I; *non contentio animi* C. Verbum, quod caput est, primum locum tenere decet. Cui autem bono otii fructus? Nempe animo. Scribamus igitur *animi non contentio, sed relaxatio.*

§ 29. *docebo vos, discipuli — id quod ipse non didici —, quid de omni genere [dicendi] sentiam* distinguo et scribo. Id enim, quod non didicit, docere est. Cfr. Or. § 143 et seq. 'Dicendi' verbum H, A, E I, E II omittunt. Cfr. § 32.

§ 31. Antequam, quid ipse de omni dicendi genere sentiret exponere adgressus erat, Antonius rhetoricorum vanam iactationem imitando cavillatus erat. Gloriose et confidenter ut istos se locutum esse putare potuit. Id Catulus non concedit. Scribamus igitur: *Exorsus es enim non gloriose, ut tu putas, magis a veritate quam nescio qua dignitate.* Hanc verborum collocationem H testatur. In A, E I, E II *magis a veritate ut tu putas,* in lg. 4 *ut tu putas a veritate magis,* in C *magis ut tu putas a veritate* exstant.

§ 33. *Atque utinam, ut mihi illa videor videre in foro atque in causis, item nunc, quem ad modum ea reperirentur, possem vobis*

exquirere M, *exponere* C. Hoc vix aliter nisi coniectura haud apta exortum est. Si quid mutandum esset, 'exprimere' quod specie ad illud propius accedit, praeferrem. 'Exponere' et 'exprimere' commutata apud Ell. III, 158 videas. 'Exquirere' autem ita interpretor, ut putem Antonium exoptasse, ut quae in foro negotiisque ipsa mentis oculis offerrentur, eadem unde haurirentur, in otio tranquillitateque ratione investigare et arte complecti posset. Cfr. Or. 18.

§ 35. *explicita* A, H, E I, E II, lgg. 24, 32a, 73b, R, O, sed *explicata* omnes libri (pr. Gu. 3) in § 84.

§ 36. Aut *alia aliqua arte* (sic meliores) aut *aliqua alia arte* in C. In H vel *aliqua arte alia* legitur. Pronomen *alia,* cum eius locus incertus sit, cum lgg. 21, 65 delendum esse censemus. Iam Schuetzius delevit.

§ 38. *aut si de pingendo pictor aliquis diserte scripserit aut dixerit* etc. A, H, E I, E II. Cfr. III, 191, Or. 62. Adlerus, quod C habet, *dixerit aut scripserit* laudavit. Ut ante enim, inquit ille, *pingendo pictor,* ita hic consulto verba *diserte dixerit* collocata esse. At vereor, ne haec collocatio a ratione abhorreat. Nam dubium esse non potest, quin Antonio libri de rebus rusticis, de morbis, de pingendo eleganter et diserte scripti ante oculos versati sint, ex quibus scriptores illos ut scripsisse ita eleganter et diserte dixisse conclusit. Suo iure igitur scribendi verbum priorem, dicendi alterum locum tenet.

§ 39. *ita oratoris mihi vim cum exprimere subtiliter visus es, tum laudare copiosissime* Ell. secundum lgg. omnes recepit. Ante lectio *mihi vim oratoris* divulgata erat. In R *ius oratoris mihi,* in O *vim oratoris mihi* exstat. Multo melius, quia urbanius est, quod A, H, E I, E II, Vict. testantur: *vim oratoris.* Nam pronomine *mihi* omisso Catulus non modo suo ipsius, sed omnium nomine Antonii orationem laudat.

§ 41. *Sequitur igitur, quoniam vobis est hic, de quo loquimur, in foro atque [in] oculis civium constituendus* etc. scribo. Nam *vobis* M, lgg. 3, 67 habent, quod cur secundum C in *nobis* mutari debeat, non video. Contra hic *vobis* pronomen pronomini a Crasso ante usurpato *nobis* (sc. oratorem descripseras) consulto Antonius opponit, cum qui vere orator sit, non modo adulescentes, sed etiam

Crassum — is enim Graecorum more oratorem descripserat — docere velit. Cfr. Or. 69. Deinde *in*, quod uncis inclusimus, secundum A, H, E I, E II recte mihi videtur dimitti posse, si forum eosque qui adsunt tamquam unum cogitamus. Aliter se res in paragrapho proxima habet, in qua *in foro atque in civium causis* C confirmat. Nam non omnes causae in foro dicebantur. Cfr. Langen, Philol. vol. 36, p. 588.

§ 43. *Nam illud tertium*, *quod et a Crasso tractatum est* etc. M, lg. 70. Non deterius est quam *tactum*, quod in aliis exstat. Sequuntur verba: *et, ut audio,* [*ille*] *ipse Aristoteles, qui haec maxime inlustravit, adiunxit* etc. Pronomen, quod uncis inclusimus, A, H, E I, E II omittunt. Optime. Nam ita oratio astrictior fit. Denique nescio an rectius *inlustrarit* scribatur.

§ 45. *Ex iis enim fontibus*, *unde omnia ornamenta dicendi sumuntur, licebit etiam laudationem ornare neque illa elementa desiderare, quae ut nemo tradat, quis est qui nesciat*, *quae sunt in homine laudanda?* Ita ex Schuetzii et Muelleri coniectura usque ab Ellendtio omnes editores scripserunt.. Vulgo ante *unde omnia ornate dicendi praecepta* legebatur. Sed in C *unde ad* (*et* E I) *omnia ornamenta dicendi praecepta* exstat. Primum quin ex fontibus praecepta hauriri vel sumi, ex praeceptis ornamenta sumi recte dicatur, non dubito, sed ex fontibus ornamenta sumi vereor ne a Ciceronis latinitate prorsus abhorreat, cum duae inter se diversissimae notiones' fontes dico et ornamenta, commisceantur. Deinde quod Orellius apud Ellendtium admonuisse dicitur, elementa statim dici praecepta rhetorum eaque ornamentis opponi, id idcirco non probo, quod dicendi praecepta, quorum quamvis praecipua tamen una pars est ornamentorum, Antonius ipse docet, elementa, quippe quae omnes sciant, dicit desiderare non opus esse. Iam vero quid sibi hic Antonius velit, paucis explanemus. Dicendi verbum non casu loquendi verbo, quod praecedit, opposuit. Nam illo oratoris, hoc omnis locutio signata est. Oratoris autem unius officium in litibus et deliberationibus esse positum, cuius praecepta certa exstent. Et enim si quando de rebus quibusdam aliis dicendum sit, facile ex iis fontibus hauriri posse, unde praecepta illius facultatis, quae unius oratoris sit, sumantur, cum non omnia, quaecunque loquamur, ad

artem et ad praecepta revocanda sint. Itaque *ad omnia ornamenta*, quod ad 'sumuntur' aliquis grammaticus adscripsit, delendum, *unde dicendi praecepta sumuntur* ex libris retinendum esse censeo. Cfr. de off. I, § 132.

§ 48. *Nam et testimonium saepe dicendum est . . . ut mihi necesse fuit . . . explicavi in eo testimonio dicendo omnia consilia consulatus mei* etc. vulgata lectio est. Sed M (pr. 4?), lgg. 3, 5, 14, 15, 20, 23, 35, 65, 67, 76, 81, 84 *testimonium* habent, in R et O *in eo testimonium explicavi* verba collocata sunt. Cum melius *testimonium* quam *testimonio* codices testificentur, deleamus verbum, quod quispiam interpretandi causa videtur adscripsisse.

A, E II, lgg. 2, 4, 13, 32 deficiunt.

§ 52. *iique* H, E Ib, lg. 36, *hique* lg. 20, 93, R, O; *ii qui* vulgata est.

§ 55. *nisi ut causis* (E I) *atque ut foro eluceat* H.

§ 59. *admirari desino* H, E I, lgg. 23, 36.

§ 60. *legero* H, E I, cum lgg. plurimis. Cfr. Ell.

Mutili illi redeunt.

§ 63. *volt etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectentur* etc. legi solet. Hic locus est, quo qua via librarii pedetemptim scriptoris verba corruperint, dilucide perspici potest. Nam particulam *que* codex fere nullus testatur, *digna*, non *dignis* in M, lg. 3 exstat. Itaque *memoria digna* recipiamus. Exspectari, inquit Antonius, in rebus magnis consilia, acta, eventus eaque digna, quae memoriae mandentur.

§ 64. *cohortationes praecepta, consolationes admonita* secundum A, H, E I, E II scribo.

§ 67. *Sed si illam quoque partem quaestionum oratori volumus adiungere . . . ., adsumamus eam quoque partem* etc. vulgo legitur. At *volumus adiungimus* A, H, E I, E II habent, in lgg. 2, 32 *adiungimus* legi dicitur. Qua de causa *volumus adiungi* scribere malo, cui quod sequitur 'adsumamus' melius se accommodat.

§ 88. *quod nimis celeriter est maturitatem consecutum* H[1], *exsecutum* A, H[2], lg. 15a, *consecutus* lg. 13, Vict. a, *executum* E I

exectum E II. Reliqui plerumque *executus*, pauci *assecutum* praebent.

§ 94. *Ecce tibi est exortus Isocrates* etc. A, H, E I, E II.

§ 95. *ut etiam* A, H, E I, E II, R, O, *ut hodie* lgg. 3, 24, 84, *ut hodie etiam* C habet. Cum 'ad hoc tempus' antecedat, 'quos audivi' sequatur, *ut etiam* unum verum videtur esse.

§ 96. *Quod si haec noster Sulpicius faceret* etc. A, H, E I. Aut *hic* habet aut omittit C. Emendasse se ita ii putaverunt, qui quid 'quod si' significaret nesciebant.

§ 97. Hominum opinio erat, Antonium non multum scriptitasse, cuius cum Sulpicius mentionem fecerit, ipse ille eam refutat. Verba, quae ad haec spectant, ita scribo et interpretor: *Tum ille, Quasi vero, inquit,* [*non*] *ea praecipiam aliis, quae mihi ipsi desint. Sed* (quamvis mihi non desint) *tamen ne tabulas quidem conficere existumor.*

§ 116. *quae non reperiuntur ab oratore, sed ad oratorem a causa atque a re deferuntur* A, H, E I, E II. Verba ita in chiasmi qui dicitur forma belle collocata habemus. Num *ab oratore reperiuntur*, quod C tueri dicitur, lgg. mutili confirment, valde dubito. Ex nonnullis *ab oratore pariuntur* scribi placuit. Profecto luculenter excogitatum est, tamen cum, quod optimi codices dant, id satis bonum sit, ab iis recedere nolo. Deinde *rei* M, *reis* C; permulti *a*, quod praecedit, omittunt. Ut membra comprehensionis aequemus, *atque a re* delendum esse censeo.

§ 117. *Atque isti quidem, qui docent, cum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copias suggerunt* ex H recipiendum est. Ita E Ib correxit. A, E Ia *copia* habent, sed *s* ante *s* facile perire potuit. In C *copiam* exstat. Non semel Cicero quasi militari quodam stilo scripsit. Hic argumenta copias esse vult, unde orator veluti imperator subsidia depromere aut quo se referre possit. Cfr. § 38, 187, Br. 139.

§ 121. *qui hoc primum in nostros mores induxit* M, lgg. 69, 93b, 81, O, fort. R, qui saepissime cum lg. 93 et O consentit; *primus* C. Multo magis illud arridet, i. e. quod primum vel maximum est. Cfr. III, § 53 et 67.

§ 129. *Pauca enim sunt, quae usu iam tractata et animo quasi*

notata habere videamur vulgata lectio est. Sed *vis viam* cum corruptionis signo supra scripto A, H, E I, lg. 4, *non viam* E II, *vix viam* lg. 2, *vis via* 13, 36. Fortasse *et usu iam* legendum est.

§ 131. *praecucurrit* A, H, E I. Cfr. III, 52.

§ 133. *sed tamen ut videatis, quale sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur. Hebes atque impolitum: constituunt enim* etc. distinguo et ex A, H, E I, lgg. 2, 3, 4, 13, 36 scribo.

§ 134. *Nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimii persona, nihil Decii, de ipso universo genere infinita quaestio est* etc. distinguo et scribo. Vulgo *enim* ante *universo* insertum legitur. At non coniunctio causalis, sed adversativa postulatur. Id vidit is, qui, quod H praebet, *vero* scripsit. Neque tamen hoc defendo. Ut *enim* syllabae *uni* duplicatione, item *vero* ex *ipsoᵒuniverso* ortum esse arbitror.

§ 135. *ad genus et ad naturam universam* etc. C. Sed alteram praepositionem *ad* A, H, E I, lgg. 4, 13, 23, 32a omittunt. Deleo. Cfr. § 41.

§ 143. *ut, quae sint in iure, vel acute discribere vel ornate inlustrare possit* hodie legitur. Sed *acute* — id quod pervulgatissimum illud dialecticorum est — num aliunde atque ex interpretatione fluxerit, valde dubito, cum *apte* A, H, E I, E II, lg. 32a testentur. Neque vero hoc ipsum est, quod satis faciat. Nam cur, quaeso, quod diffusum et dissipatum est, id in certa genera cogetur et ad artem facilem redigetur? Nempe ut quae innumerabilia et obscura sunt modica fiant et inlustrentur, ut ea omnes diligentes et memores et sobrii percurrere animo possint, quod Antonius docuit, ut artem, quod Crassus l. I § 190 voluit, magis magnam atque uberem quam difficilem et obscuram habeant. Per litteram *p* igitur lineolam subducamus: habebimus *aperte*, i. e. quae sint in iure ita discribere, ut aperta fiant. — Ex H lego: *Ergo, inquit, ista, Antonius* etc Cfr. Stangl. Blätter f. d. Bayer. Gymnw. 1882, p. 272, Sorof. ed. alt. I, 113 adn. crit.

§ 144. *cum diceret sibi certum esse a iudiciis causisque discedere* C. In H tamen *in* ante *certum* erasum, in E Ib supra scriptum est. Unde *iam certum* scribendum esse suspicor. — *et istatim oscitantem* A, H, E I, *et istam oscitantem* C. Haud dubito, quin,

quod in H altera manus supra scripsit, *et istam tuam oscitantem* verum sit.

§ 145. *Adrisit hic Crassus leviter* A, H, E I aliique multi. Non improbat Ell. Sed cfr. Jordan. progr. Halberstadt. 1834, p. 11.

§ 148. *omnia percipiamus* A, H, E I, E II, lg. 32a.

§ 150. *iam usi sumus* C, sed *iam sumus* A, H, E I; in H tamen post *sumus* litterarum trium spatium relictum est. Itaque cum *usi* facilius post *sumus* quam ante intercidere potuerit, ex lgg. 4, 81 *iam sumus usi* recipiatur velim.

§ 151. *quaecumque res posita est* H, *proposita est* C.

§ 152. Catulus cum, unde fieret, ut Antonii oratio ab Aristotelis praeceptis non aberraret, duas posuisset has causas, sive quod similitudine illius divini ingenii in eadem incurreret vestigia sive quod etiam illa ipsa legisset atque didicisset, hanc alteram probabiliorem esse addere vix potuit. Itaque ex verbis, quae sequuntur, *quod quidem mihi magis verisimile videtur* inurbane dictum *magis* depellamus.

§ 155. *quos tu cum haberes [auctores], Antoni, miror* etc. scribo. Nam *auctores* nisi lgg. 15, 69, 81, 84, 93 nullus codex testatur. Non dubito, quin potuerit fieri, ut post 'haberet' aliquid intercideret, sed quod fuit antequam a certis testibus. indicatum erit, ita interpretabor, ut ex verbis, quae praecedunt, 'auditos' subaudiam.

§ 170. *ut [olim] Crassus adulescens* etc. 'Olim' A, H, E I, E II omittunt. Et est supervacaneum.

§ 181. *probanda* M (pr. 36?) — *posita* M. Utrumque probo.

§ 182. *Sed haec adiuvant in oratore, lenitas vocis vultus pudoris significatio verborum comitas, si quid persequare acrius, ut invitus et coactus facere videare.* Ita Ell. scripsit et distinxit. Locus valde tortus est. Enumerare omnia medicamenta, quibus homines docti eum sanare studuerint, non opus est. Quae exuberaverunt, amputemus: locus sanatus erit. Primum non *adiuvant,* sed *adiuvat* A, H, E I testificantur. Deinde *pudoris significatio,* quam lenitatem voltus esse, tum *comitas,* quam lenitate verborum perspici grammaticus nescio quis docere voluit, exsecetur: habebimus *Si haec adiuvat in oratore*

lenitas vocis voltus verborum, quae si in oratore est, cum aliquando acrius dicat, invitus et coactus id facere videbitur.

§ 186. *Atque illud optandum est oratori, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi adferant* [*ad causam*] *iudices ad id, quod utilitas oratoris feret, accomodatam* scribo.

§ 188. *ipse videaris* A, H, E I, *ipse videaris incensus* E II, lg. 26, *ipse videaris incendi* lg. 2a, *ipse incendi videaris* lg. 36, *ipse incensus videaris* lg. 4, *ipse ardere videaris* C. Mihi *arde͠* i. e. *ardere* ob litterarum similitudinem post *videaris* intercidisse magis verisimile est.

§ 189. *Non mehercule umquam apud iudices* [*aut*] *dolorem aut misericordiam aut invidiam aut odium dicendo excitare volui* etc. Recte 'aut', quod uncis inclusimus, A, H, E I, E II omittunt. Nam non quattuor partes continuantur, sed binae, 'dolor et misericordia, invidia et odium', sibi opponuntur. Particula 'aut' vero singulae partes diiunctae sunt, quod negatio principium enunciationis tenet. Si, quod paene credo, idem illud *aut* in lgg. mutilis deest, cum in reliquis 'apud iudices' omissum sit, in his 'unq̃ aut' ex 'unquam' ortum esse suspicor.

§ 193. In versu Pacuviano lectio *qui tibi in tutelam est traditus* facilis et probabilis est, sed *tutelast* A, H^1, *tutela est* H^2, E I, lgg. 2, 3, 6, 13, 32, 4b, *tutella est* E II, 4a habent. Cum quid secutum sit nesciamus, ab optimis testibus recedere dubito. Interpretor: qui tibi in tutela est, quod tibi traditus est.

§ 194. *neque actor sum alienae personae* M. Verissima scriptura est.

§ 196. *et cum ipsum* H, *atque ipsum* C.

§ 200. *in liberum locum* M (pr. 4?) lgg. 6, 15a, 20, 76, 84. Cfr. div. in Q. Caec. § 66.

§ 201. *ut rebus gestis concederent* etc. Ita verba ex E II, lgg. 2b, 3, 4 videntur collocanda esse. A, H, E I, lgg. 35, 36a *concederent* omittunt, post *viderunt* insertum habet C. — Deinde *si pio* in M deest, cuius in lg. 32 id altera manus addidit. Difficile tamen et periculosum est delere, cum in H spatium viginti litterarum interiectum sit. — Paulo post iterum post *orationis* in H locus verborum expers est, quem duodecim litterae explere possunt. Quod

verbum, *partibus*, vulgo antecedit, id A, H, E I, E II omittunt. Fortasse igitur *orationis partibus* scribendum est.

§ 203. An *cum nihil aliud profecisse te arbitrarer?* M *te* omittit, C ante *nihil* habet.

§ 206. *sentimus amorem conciliari, si id iure videamur, quod sit utile ipsis, apud quos agamus, defendere* scribo. Vulgo *id videare* et *agas* legitur. Sed primum *id iure* lgg. 6, 36, R, O, *id in re* A, H, E I, lg. 2a, *id velle* E II, lgg. 3, 15, 24, 32, 86, deinde *videamus* A, H, E I, lgg. 6, 36, Vict., Z, *β*, *γ*, *ε*, *videmur* 15, 24a, 86, *videamur* C. Hoc tamen Ell., quod *agas* sequeretur, revocare noluit. Ipse *agam'* in *agas*, cum 'quos', quod eadem littera desinit, antecederet, corruptum esse arbitror. — Paulo post *plusque proficit, si ponitur spes* secundum A, H, E I, E II scribo. C *proponitur* habet. Vicinitate factum est, ut verbum simplex adaugeretur.

§ 209. *virtute parata* M (pr. E II, 36), R, O, *virtute parta* C, quod, cum 'gloriam peperisse' sequeretur, coniectura ortum esse puto.

§ 213. *sunt* Ell. inclusit. Item post *et exitus*, quod sequitur, *tamen* secundum H, E I delendum erat.

§ 214. *Argumentum rationis* A, H, E I, *argumentum ratio* E II, lgg. omnes praeter 6, 21, 69, 81, 84, 93, qui cum R, O *argumentum enim ratio* habent. Scribamus igitur: *Argumentum ratio enim* etc.

§ 217. *Itaque cum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis* C. Sed *de* omittunt, *perridiculis* habent A, H, E I. Unde hoc oriri potuit, nisi in archetypi contextu *ΠΕΡΙΓΕΛΟΙΩΝ*, supra quod *(de) ridiculis* scriptum erat, fuisset? Et quando unquam Graeci libri latine inscripti sunt?

§ 221. *quae occurrant* cum libris plurimis atque optimis scribi volo.

§ 223. *atque illa brevia, cum ille diceret se sine causa sudare, 'Minime mirum', inquit, 'nam modo existi de balneis', innumerabilia fuerunt* etc. distinguo et scribo. Nam *modo enim,* quod vulgo legitur, libri male testantur. Aut *modo* omittunt aut *enim modo* habent (M). Qua de causa, cum *ñ* (= nam) et *.n.* (= enim) facillime commutari potuerint, *nam modo* scribere malui. *Huiusce modi* vel *huius modi* vel *eius modi,* quae verba ante *fuerunt* aut post libri in-

serta habent, M omittit. At tamen post *brevia*, quod Kayserus fecit, *ut* interponere opus esse non arbitror, quia 'illa brevia' idem quod 'illius generis brevia' significant.

§ 224. Miror, quod quae servata exstant, quo loco eandem narratiunculam Cicero protulerat, nemo vidit, eadem hoc loco addere necesse esse. Itaque recte ex oratione pro Cluentio (§ 141) *ego et M. filius* post *essemus* interponemus. Nam si verba *ego et M. filius*, quae publicis commentariis addita erant, lector non recitasset, patrem filio fundum Privernatem reliquisse Crassus illudens dicere non potuit. Tum quarto loco *se etiam in balneis lotum cum filio scriptum reliquisset* legimus, unde ut ceteris locis ita primo loco verba illa, quae supplevimus, adfuisse apertum est. In illa autem oratione, quam in auxilium vocavimus, *ruri*, quod *in Privernati* antecedit, delendum esse hoc loco discimus, cum haec omnia ex formula dicta sint.

§ 226. *tu in foro, tu in urbe, tu in civium esse conspectu?* divulgata lectio est, quamquam *tu in urbe* nullus fere codex testificatur. Ergo deleamus. Cfr. § 41.

§ 230. *lepore magis levandum quam contentione frangendum* M; *elevandum* C. At verbum item simplex oppositum est. Deinde consulto nescio an voces iisdem litteris incipientes coniunctae sint.

§ 232. *Quis enim haec vel non facile vel certe aliquo modo posset ediscere?* A, H, E I, E II, R, O. Ita vulgo edebatur ante Pearcium, qui, quod C confirmare dicitur, *non vel* praetulit. Haec transpositio quamquam facilis est, tamen vereor, ne ob significationem adverbii 'certe' hoc loco dupliciter 'vel' poni non possit. Equidem, cum 'haec' et 'vel' compendiis simillimis scriberentur, hoc illius duplicatione ortum esse arbitror. Pro 'hoc' A, H, E I 'vel hoc' in § 184 habent. Itaque *vel* prius deleo.

Codicum A et E I priores manus deficiunt. In illo manus eiusdem fere aetatis partem exiguam, in hoc saec. XV totam, quae defuit, suppleverunt. Haec littera 𝕰 notantur.

§ 234. *Verum te, Caesar, audiamus, ut ad Antonii reliqua redeamus* E II, O habent. Eadem ut, quod ex Ellendtii silentio sequi videtur, lgg. omnes confirmare credam, vix adducor. Nam quamvis illud ex formula dictum 'redire ad aliquid' auribus

bene sonet, tamen hoc loco rei obiectae verbum non congruit, cum 'reliqua' ante non dicta sint, ut ad haec rediri posset. Ratione modo 'ut ad Antonii reliqua veniamus' vel 'ut ad Antonii disputationem redeamus' similiave dici potuit. Aut verbum igitur aut res obiecta mutanda est. Quod quo modo optime fiat, H, A, 𝕮 docent, in quibus *ut Antonii reliqua videamus* scriptum exstat. Haec lectio recipiatur. — Extemplo haec: *Perpauca quidem mihi restant* etc. C. Sed *mihi quidem* A, H, 𝕮, E II, O. Hanc probo verborum collocationem, quod modestior atque urbanior est.

§ 235. *tertium, sitne oratoris velle risum movere* C; *risum velle* A, 𝕮, E II, R, O. 'Velle' delendum est. Cfr. § 236. — Paulo post *quod ne ipsi quidem illi scirent* vulgata est. Lgg. 2, 3, 4, 6, 13, 32, 36 *ipsi* omittunt, *ipsi illi quidem* in A, H, E II exstat. Lectiones duas conglutinatas esse ratus cum 𝕮 *quod ne ipsi quidem scirent* legere malo.

§ 236. *quae notant et signant turpitudinem* etc. M, lg. 3 *designant* C. Illud probo. Cfr. § 230.

§ 238. *eaque belle agitari videntur* M (pr. E II); *agitata ridentur* C. In 𝕮 *ea que* scriptum est. Quod si ex *ea quae* ortum sit, nescio an haec quinque verba e margine in versum irrepserint.

§ 239. *Quae cuius modi sint facilius iam intellegemus, cum ad ipsa ridiculorum genera venerimus* vulgata est, quam A, H, E II, lgg. 4, 32 affirmant. Ex C *veniemus* Ell. sumpsit, qui adnotavit: 'Dicit una cum tractandis ridiculorum generibus intellectum iri'. At quod ita est, recte *venerimus* legitur, nam intellegi res ante non poterit, quam in ipsam rem ventum erit. Aut Caesar 'cum de ipsis ridiculorum generibus dicemus' similiave dicere debuit.

§ 240. *Re, si quando quid tamquam aliquae fabellae narrantur* etc. secundum M scribo. Id est 'si ita narratur, ut aliquae fabellae narrantur' sive 'aliquarum fabellarum genere'. Vulgo *tamquam aliqua fabella narratur* legitur. At in his libris, in quibus Cicero haud raro cotidiani sermonis licentiam imitatus est, a vetustissimis testimoniis recedere valde dubito. Ac ne verum quidem est, quod in C exstat. Nam ii, qui eas narratiunculas, quarum statim exemplum sequitur, proferunt, non fabellam, sed verum se narrare putari volunt aut se velle simulant. — Paulo post

coniecturam Schuetzii *inscriptas fuisse litteras LLLMM* recentiores omnes receperunt. Sed *inscripta* H, tum *litteras duo* A, H, *litteras duas* E II, *litteras tria LLL duo MM* C habent. Vocabulum 'litteras', quod signis interpretandi causa adscriptum esse arbitror, delendum et *inscripta fuisse tria L duo M* scribendum esse censeo.

§ 242. *Mimorum est enim ethologorum* etc. vulgo legitur. Sed *et ethologorum* A et H servaverunt. Haec vera scriptura est. Nam generi species quaedam adiungitur. Idem in § 244, A, H, R, O tuentur.

A, E II, lgg. 4, 13, 32 deficiunt. Ab § 288 redeunt.

§ 246. Distinguo et ex H recipio: *Ut iste, qui se volt dicacem — et mehercule Appius est, sed non numquam in hoc vitium scurrile delabitur —, 'Cenabo', inquit, 'apud te' huic lusco familiari meo, C. Sextio, 'uni enim locum esse video'.* Deinde *Hoc scurrile est, quod sine causa lacessivit et tamen id dixit, quod in omnes luscos conveniret* secundum H lego, qui *est,* quod ante *hoc* positum esse solet, omittit. Post *hoc* in Vict. exstat. Facile tamen post *scurrile* intercidere potuit, quo loco C mire perturbatus est. Pars enim *quidem* interposuerunt, pars (in quibus lg. 36) omiserunt. Tum hi omnes *et* additum videntur habere, quo efficiatur, ut duae partes sint, quibus Appii dictum scurrile esse videatur. Est autem hoc scurrile, quod, quamquam in omnes luscos id quod dixit convenit, tamen hic sine causa lacessivit. Ergo *et* recte cum H omittetur.

§ 247. *cum M. fratre suo* H.

§ 248. *Sed hoc mementote, quoscumque locos attingam, unde ridicula vocantur, ex iisdem locis fere etiam gravis sententias posse duci* H, lgg. 2, 36; *ducantur* C. Hoc cum ex ducendi extremo verbo facile oriri potuerit, illud autem unde originem adulterinam traxerit, non intellegamus, hoc probamus. Modo coniunctivo opus non est.

§ 249. *Sed hoc isdem etiam verbis; ex isdem autem locis omnia.* Facile verbum subaudiri potest. Deterioris notae libri *nascuntur* addunt. — *Quin prodis, mi Spuri? quotienscumque gradum facies, totiens tibi tuarum virtutum veniet in mentem* C. Quod si ita fuisset, Spurius, qui ex volnere ob rem publicam accepto graviter claudicabat, in publicum prodire non dubitasset. Ut faceret,

matris admonitione opus erat. Recte igitur ex suis *veniat* Lamb., Ern., Schuetz. dederunt, quod H, lgg. 2, 3 confirmant.

§ 250. *et laudabile et honestum* H, 𝔈, R, O. Prius *et* omittit C.

§ 251. *Qua re primum genus [hoc], quod risum [vel] maxume movet, non est nostrum* etc. H.

§ 252. *et cursim: aliter minime est liberale;* H, 𝔈. Post *aliter* C *enim* addidit. Non opus erat. — *tertium, oris depravatio, non nobis* H, *non digna nobis* C. — *non modo non* H, *non solum non* C. Cfr. § 274. — *in verbis habet omnem leporem* H, lgg. 2, 3b, 36. Cfr. Ell.

§ 253. *Ambigua sunt in primis acuta atque in verbo posita, non in re; sed non saepe risum movent, magis ut belle, ut litterate dicta laudantur* H, lgg. 2, 36. In C *magnum risum* legitur, quod, cum 'risus maiores' (cfr. infra) sequatur, Sorofius recepisse recte videtur. Sed *ut belle et litterate,* quod vulgatum est, non probamus, cum non sit, cur illiterati homines belle dicta proferre non possint. Neque magis enim artis ac disciplinae quam animi praesentis et acris sunt, quod exemplum proximum docet. Itaque hoc loco *belle* et *litterate* collocari potuerunt, coniungi non potuerunt. — *gregalesque eum, cum in campum non venisset, requirerent* etc. H, 𝔈, ex suis Lamb. Pronomen *eum,* quod C omittit, ante *cum* facile intercidere potuit.

§ 254. *sed risum movent alia maiorem* H; *risus* et *maiores* C. At singularis numerus in hac sermonis parte usitatus est. Fortasse etiam § 289 *risus movetur* rectius scribetur. — (Ambiguum) *admirationem magis quam risum movet, nisi si quando incidit in aliud quoque genus ridiculi.* H, Vict., Gu. 1, 2, Lamb. Coniunctione *quoque,* quam C omittit, aegre carebimus.

§ 255. *Quod si admixtum etiam est ambiguum, fit salsius* H; *est etiam ambiguum* C. Ex E II, quem hic recentior manus supplevit, Kayserus *est ambiguum, etiam* sumpsit. Mihi verborum collocatio, quae in H est, germana videtur esse. Nam cum cetera ridiculi genera enumerentur, non tam 'ambigui' quam 'admixti' verbum, quo aliqua species ridiculi primo generi subiungitur, plus gravitatis habet. Sequuntur haec: *ut apud Novium videtur esse misericors ille, qui iudicatum duci videt, percontatur ita* etc. Miror, quod *videt* uno

fere omnium codicum consensu probatum editores non retinuerunt. Ex lg. 93, R, O plerique *videns* assumpserunt. Gronovius *percontatus*, quod aliis placuit, coniecit. Facilius erat *videt et percontatur* scribere. Sed huic sermoni illa dissolutionis figura optime conveniat. Postremum totum locum intuentes verba *addito ambiguo altero genere ridiculi* libenter dimittemus. Nimis interpretis sapientiam olent. Neque enim, quod comicus *Nil addo* respondeat, addi 'ambiguum', docere eorum, qui audiebant, auribus dignum erat et sententia male interrumpitur, unde factum est, ut Ernestius *salsissimum* scribi iuberet. Tacite iam Schuetzius *altero genere ridiculi* delevit.

§ 258. *In hoc genus coiciuntur etiam proverbia* H. *Etiam* om. C. — *non in re, sed in verbis posita ducantur* C. Sed *non in ea re* in contextu, *non ea in re* in margine H habet. An *non esse in re*?

§ 259. *tantum huius genus ridiculi* etc. H, lgg. 2, 36.

§ 260. *egregium [que] civem [esse] arbitror* H. — *Ridicule illud etiam* etc. H. — *ex quo, cum quasi decepti sumus exspectatione rei, ridemus* H.

§ 263. *esse aliam ioci* etc. H.

§ 264. *Exprimenda enim sunt et ponenda ante oculos ea, quae videantur [et] verisimilia, quod est proprium narrationis, et quae sint, quod ridiculi proprium est, subturpia;* H[1], Gu. 1, 2.

§ 265. *Est etiam ex similitudine, quae aut conlationem habet aut tamquam imaginem* *c o n l a t i o n i s, ut ille* etc. C. Ex paucis libris usque ab Lambino post 'imaginem' distinctione facta *Collationem* editores receperunt. At duo exempla afferuntur. Emendabimus igitur scripturi *imaginem. Conlationes, ut ille* etc. Item mox *imagines,* quia duae sequuntur.

§ 266. [*Tum*] *ut diceret,* etc. H, lgg. 2, 36.

§ 269. *Tanta malorum civium est multitudo* etc. H. — *paucis annis te* H. — *Hoc in genere* H. —

§ 271. *solitum e s s e dicere* H. *Esse* om. C. Male, nam hoc nisi ante passivi generis infinitivos omittere Cicero non solet.

§ 274. *non modo minis* H, lgg. 2, 36. Cfr. § 252.

§ 276. Errant, qui hoc loco ostium idem quod ianuam significare volunt. Cfr. Forcellini lex. sub ianuae voc., Doederl. Synon.

Lat. V, 215. Quod si ita esset, bona ridiculi pars demeretur. Non dubito equidem, quin multi ex libris cum rerum scriptorum tum poetarum loci afferri possint, in quibus utrumque verbum idem significare videatur, non ita tamen, ut plane significatio propria evanuerit. Ostium enim, quod de ore ducitur, locus est, per quem aditur, sive clausus sive apertus est. Inde 'extra ostium limenque carceris' (Tusc. V, 13) dicitur, inde 'iunge ostia' (Iuvenal. IX, 105), 'ostia pulsat' (Hor. sat. I, 1, 10), inde persaepe ita fluminis aditus, translate hominis fauces (de nat. deor. II, 136) appellantur. Januas autem fores in liminibus profanarum aedium nominari Cicero ipse docet (ibid. 67), per quas domus intrabantur. Iam vero Gellius (XVI, 5) adnotavit haec: 'C. Aelius Gallus in libro de significatione verborum, quae ad ius civile pertinent, secundo vestibulum esse dicit non in ipsis aedibus neque partem aedium, sed locum ante ianuam domus vacuum, per quem a via aditus accessusque ad aedis est, cum dextra sinistraque ianuam tectaque sunt viae iuncta atque ipsa ianua procul a via est, area vacanti intersita'. Deinde ipse addidit: 'Qui domos igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante ianuam vacuum relinquebant, qui inter fores domus et viam medius esset. In eo loco, qui dominum eius domus salutatum venerant, priusquam admitterentur, consistebant et neque in via stabant, neque intra aedes erant. Ab illa ergo grandis loci consistione et quasi quadam stabulatione vestibula appellata sunt, spatia, sicuti diximus, grandia ante fores aedium relicta, in quibus starent, qui venissent, priusquam in domum intromitterentur.' Inde primum aditum i. e. ad vestibulum ostium, ad aedes ipsas alterum ianuam fuisse concludimus. Cfr. Plaut. Pers. V, 1, 6: 'hic volo ante ostium et ianuam meos participes bene accipere'. Quoniam haec pauca commemorata sunt, nunc locum ipsum Tullianum contemplemur. Acciderat autem, ut Nasica ad poetae Ennii domum veniret. Ante ianuam vel in vestibulo ancillam videt. Resistit. Ab ostio quaerit, num dominus intus sit. Illa negat. Sed homo nasutus eam domini iussu a vero recessisse odoratus est. Ire pergit. Paulo post ipse cum esset domi poetamque se quaerentem audisset — is autem per vestibulum ad ianuam venerat —, se domi non esse exclamat. Pars una ridiculi haec est, quod, qui ab ostio quaesiverit, eum decipere velle non

tam impudentiae videtur esse, quam eum, qui paene domum ipsam intraverit. Quae pars, si ostium idem esset quod ianua, deficeret. Alteram a Caesare ipso audias. — At non *a ianua,* quod vulgo legitur, germanum esse potest. Id solus H servavit, in quo *ad ianuam* exstat. Lectio vere speciosa. Nam Ennium non in limine aedium, sed ad ianuam opertam stetisse verisimile est, cum ex puero quaereret, cuius loco Nasica respondit. Cfr. § 353, de inv. I, 28. — *Tum Ennius: Quid, ego non cognosco vocem, inquit, tuam?* vulgata lectio est, quam Ell. secundum lgg. 2, 23, 36, 69, 76 ita mutavit, ut *inquit, vocem* poneret. In 𝔈 tota verborum collocatio perturbata est. Hic *Quid ego* omisso *vocem non agnosco inquit tuam* habet. In H haec exstant: *tum ennius inquit ego non cognosco vocem tuam,* unde quae verbi *inquit* origo fuerit, satis perspicitur. Delendum est. Cfr. I, 209.

§ 277. *qui videretur mollior esse nec esset* H. *Esse* om. C. — *tua colo* H, lgg. 2, 36, *tua colu* C. — Tum *pol* H, lgg. 2, 36 omittunt.

§ 278. *movisse se* H, *se movisse* C. — *Ac magnam quidem, inquit; hominem enim nullum puto esse tam durum,* H. Ita retardando atque dilatando rogantis exspectatio producitur, quo altius cadat. Multo igitur melius illud est quam *neminem enim puto,* quod C habet. Sequuntur haec: *cui non oratio tua misericordia digna visa est,* quae soli H, 𝔈, lgg. 2, 36 testantur. Jam Ellendtio placuit. Non mirum est. Nam cum Catulus 'misericordia' diceret, orator malus opinione summa erectus erat, quo vehementius frangeretur, cum, quod non exspectaverat, *digna* audisset. Vulgo *miseranda visa est* legitur.

§ 279. *Me tamen hercule etiam illa valde movent stomachosa et quasi submorosa ridicula, nam cum a moroso dicantur, tum [enim] non sal, sed natura ridetur* secundum H scribo. *Tamen* lg. 2, 36 confirmant. In C *quidem* et *non cum* exstant. Particulam *enim,* quae dittographia negationis orta esse mihi videtur, inclusi. — *patientis et* H (*ac* supra scr.), lg. 36. — *lenis* H, *lenti* C. — *cum ille postea diceret* H, *cum ille diceret* C. — *nisi arcam* H.

§ 280. *Movent etiam illa* etc. H, *Movent illa etiam* etc. C.

§ 284. *peteretur Lucullus — Luculli — Lucullum* H. Cfr. Schuetz. et Ell.

§ 285. *Potest fieri, inquit, Sile, ut is, quem te audisse dicis, iratus dixerit.* H; *unde* C. — Paulo ante *Crassus* H, lgg. 2, 36, *Flaccus* C.

§ 287. *ut M. Lepidus, cum ceteris se in campo exercentibus ipse in herba recubuisset* etc. H. Omittit *se* et *in herba ipse* habet C (*ipse* etiam 𝔈 om.) — *amicique* [*cum*] *vociferarentur* H. Cfr. Ell.

Omnes codices mutili redeunt.

§ 292. *non ut me defugere appareat* A, H, E I, *non ut id me fugere app.* E II, *non ut id me def. app.* C. An: *non ut me id fugere appareat?*

§ 308. *Ut vero statuamus ea, quae et probandi et docendi causa dicenda sunt* etc. scribo. Prius *et* in libris deest. Sed de *probandi* in A, H, E I, E II exstat.

§ 311. *perficiunt* A, H, E I, lgg. 13, 32, *proficiunt* C.

§ 316. *unde hoc simile ducat, primas illas hastas ita iactare leniter* etc. M (pr. 4?), lgg. 3, 6; *illas primas* C. An: *primas alias?* Scil. ante pugnam iis, quibus in pugnando nihil utuntur. Cfr. § 325. — *quam maxime* H[1] *vel maxime* C (*vel* om. lgg. 15, 81).

§ 318. *atque inspecta* H.

§ 323. *Nam* [*et*] *attentum monent Graeci ut principio faciamus iudicem et docilem; . . . faciliora etiam in principiis, quod* [*et*] *attenti tum maxime sunt, cum omnia exspectant, et dociles* etc. Bis *et* M, lgg. 3, 6 omittunt. Priori loco tamen, si credendum est, 2, 13, 36 tuentur. Male. Cfr. de inv. I, 23: 'Nam eum, quem docilem velis facere, simul attentum facias oportet. Nam is est maxime docilis, qui attentissime est paratus audire.' Cfr. Haacke, lat. Stil. § 115, 1.

§ 324. *quos tamen totos explicare in principio non oportebit* A, H, E I, E II, R, O; *explicari* C. —

§ 325. *Nam non nulli, cum illud* (sc. principium) *meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam fieri sibi velle videantur* C, *nolle videantur* lgg. 2b, 4, 6, 69. Mihi *velle non videantur* legere placet. Ita enim leviter, ita neglegenter reliqua tractabant, ut voluntas eos, qui audirent, attentos retinendi non cognosceretur.

§ 326. Mire perturbatus in libris huius paragraphi exitus est. Omnes errores enumerare vix iuvat. In A, H, E I *vident illa* exstat. Cum *narrationis est maxima* antecedat et versiculum, qui se-

quitur, verba *Quam longa est narratio* excipiant, ut haec vox ipsa subaudiri possit, ex *n* littera *a* restituta super *t* syllabae *ur* sigillum ponas: habebis *Videatur illa.* In E II, lgg. 32 *videant illam* legitur. At credi vix potest, Antonium suorum immemorem subito eos, qui non adessent, admonuisse. Tum *illam* sequenti *nam* assimulatum est. *Videtur illa* lgg. 14, 15, 23, 67, 69, 93, R, O, *videntur illa* 24a, 86 testantur. Medium tenet veritas.

§ 329. *Apertam enim narrationem tam esse oportet quam cetera: sed hoc magis in hac elaborandum est, quod* etc. omnes Ell. libri testificari videntur, nisi Lagomarsinus duas lectiones confudit. Nam A, H, E I, E II, R, O *in hoc* tuentur, quod unum verum est, sc. ut narratio aperta sit, in eo maxime elaborandum est. Haec res tota paragrapho agitur. — Deinde si, quod Bakius coniecit et Kayserus recepit, *in arguendo* (cfr. § 323) verum sit, non dubitem, quin *aut purgando,* quod vulgo legitur, in *aut probando* corrigam. Cfr. Fleckeis. ann. 1881, p. 179. Sed adhuc mihi conversus verborum ordo displicet.

§ 334. *Nam qui utilitatem petit, non quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur videt.* M, lgg. 3a, 17b, 20, 35, 65, 69, 81, 84, 93, Gu. 2, 3b. In C *putat,* quod verbo sequenti *putet* ortum est, legitur. Post 'petit' facile 'ut orator suadeat' subaudiri potest. — *Nemo est enim, praesertim in tam clara civitate,* etc. Lectio vere probabilis, sed nescio an M obtemperandum sit, qui *tam* omittit. Cfr. Ell.

§ 335. *quarum fructum utilitate metiamur* H, *metiemur* lg. 24, *metimus* A *metimur* C.

§ 353. *iuvenis stare ad ianuam duo quosdam, qui eum magnopere vocarent* C, nisi quod in lgg. 2, 84, Gu. tribus *evocarent* exstat. Aperte illud melius est. Tyndaridae enim foris poetae sui, ut servarent, nomen magna voce clamabant. Apud Quintilianum (XI, 2, 12) 'desiderare maiorem in modum' legitur. Item in libr. de inv. I, 28 ex S *vocavi* recipiendum esse, recte Stanglius admonuit, quod evocandi verbum respondendi excipere non potuit. Puer enim, qui respondit, intus erat.

§ 357. *quare facillime animo teneri posse, si ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, etiam commendatione oculorum ani-*

mis traderentur; A, H, E I, E II, R, O. Cum *posse* additum sit, ut verba significent facultatem tenendi animo facillimam esse, re obiecta opus non est. Quam ut haberent, lgg. librarii quidam *si* aut post *ea* aut ante *etiam* posuerunt. Plane in 2, 4, 13, 14, 20, 21, 32a, 36, 67, 93 omissum est.

§ 364. *Consularem se [esse] hominem et censorium?* C praeter 2, 13. At cur in hoc liberius colloquendi genere verbum addi necesse est?

§ 365. *quae sunt valde secus* M (pr. 36), *longe secus* C. Nescio, qua via hoc in *valde* abire potuerit, sed eum, qui Laudensem transscripsit, cum sigillum aut explicare non posset aut id evanuisset, *longe*, quod usitatissimum est, coniectura scripsisse, id mihi videtur probabile esse. — Recte deinde Kayserus secundum M (pr. 2), lgg. 3, 6 *tu* ante *tandem* delevit. Item ex M (pr. 4), lgg. 3, 6 *ego* post *saepe* delendum erat. Nam verba *mihi tandem* et *saepe doctos homines* vim totam ac pondus habent. — In extrema paragrapho cum M aliisque permultis *ut in eo* recipiendum erat. Vulgata *uti eo* est. Sane lineola super *i* ducta evanuerat. Unde *uti in eo* huius aetatis editores sumpserint, nescio.

Lib. III.

§ 4. *Quo quidem in ipso loco* etc. A, E I, E II. In H *in* intercidit, post *ipso* C habet. — *dicta esse ferebantur* non Halmii coniectura est, sed Lambinus scripsit.

§ 6. *Illa tamquam cygnea fuit divini hominis vox et oratio, quam quasi exspectantes post eius interitum veniebamus in curiam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur* vulgata lectio est. At *ille* praeter lgg. 24, 81, 84 nullus liber testatur, in quibus *ipse* exstat. Quod si verum est, *ipsum,* quod antecedit, displicet. At tamen cum verbis *post eius interitum* quae persona sit, satis significetur, hoc loco hominem mortuum pronomine demonstrativo non declarari quam illud *ipsum* deleri malo. Et *ipse* et *ille* ex iisdem pronominibus, quae antecedunt, orta sunt. Quod scribi volo, id Vict. confirmat. — *Namque tum latus ei [di-*

centi con] *doluisse* etc. Quod uncis inclusi, secundum M, lgg 6, 93, R, O delendum est.

§ 9. *cum sibi non incolumem fortunam, sed exitum et fugam deprecaretur* M; *exilium* C, quod quin interpretatio illius vocis sit, vix dubium est. Cfr. parad. IV, 29.

§ 12. Cicero Crassum beatum fuisse dicit, quod neque patriae perniciem neque virorum optimorum interitus videret, quorum casus et quae ipse rei publicae gratia perpessus sit cogitanti sibi sententiae fratris verae ac sapientis in mentem veniret. Tum sequuntur in § 13 haec: *qui propter tot, tantos tam praecipitisque casus clarissimorum hominum atque optimorum virorum me semper ab omni contentione ac dimicatione revocasti.* Quae verba quid significarent, apud neminem doctum inveni nisi apud Sorofium, qui a Quinto fratrem ab omni discrimine civili ac intestino, ab omnibus turbulentis in civitate tempestatibus revocatum esse censet. Quid? tam ignavus Quintus erat, ut, quamvis ipse a negotiis amaret abstinere, fratri timeret, ne similia atque optimi viri pateretur? Vix Romano viro digna vox. Immo potius illorum casus edocuerant, plerumque fieri, ut peior pars meliorem vinceret atque optimus quisque pessima pateretur. Haec est sententia, qua verbis involuta, ne impudenter videretur scripsisse, Cicero a fratre se ad animi tranquillitatem revocatum esse dicit. Apertior lectione fit ex H recipienda, in quo *dimicatione animi* scriptum legimus. Quam facile *anĩ* (i. e. animi) post syllabas *one* intercidere potuerit, quispiam intelleget.

§ 16. *quam quomodo* [*a nobis*] *uterque inductus est* secundum M scribo.

M deficit. Quae deficiunt, in lg. 32 recentiore manu suppleta sunt.

§ 45. Saepissime *lenis* et *leuis* vocabula in manu scriptis mixta sunt, ut utrum quoque in loco verum sit, ex verborum conexu explorare cogamur. In hac paragrapho scribere placet *non aspere, ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter,* ut hoc extremum nomen ei, quod primum locum tenet, respondeat. Quod si verum esset, cum alterius partis nominibus adiectivis quattuor tria in altera parte responderent, tota concinnitas tolleretur. Itaque nos *non aspere,* quod quattuor verbis a cete-

ris separatum est, separatim sumi volumus, terna autem cetera ita sibi opponi, ut *vaste* et *presse, rustice* et *aequabiliter* sibi respondeant. Quo concesso *hiulce* non *leniter*, sed, quod 𝔈 et lgg. X confirmant, *leviter* respondere potest. Cfr. § 171 et 172.

§ 49. *conturbato ordine* unde huius aetatis editores hauserint, nescio. Libri *perturbato ordine* testantur.

§ 51. *relictis ut omnibus rebus* 𝔈, lgg. omnes, Gu. 2, O, (R?), *relictis ut rebus omnibus* C, quod in suis se reperisse Lambinus affirmat.

§ 74. *petam a vobis, ut ea, quae dicam,* [*me*] *non de memet ipso, sed de oratore dicere putetis.* Sorofius *me* inseruit. Cfr. progr. Potsdam. 1866, p. 18. Asperius mihi videtur sonare. Si quid mutandum est, *dici* ex *dice*˜ (i. e. dicere) restituere malim.

§ 87. Valerio scaenico, qui cotidie cantabat, Numerius Furius, qui, cum commodum erat, cantabat, opponitur. Tum haec: *Est enim paterfamilias, est eques Romanus: puer didicit, quod discendum fuit.* At *fuit* praeter lg. 93, R, O libri omittunt. Cum 'eadem' sequatur facilius *ẽ* (i. e. est) intercidere potuit. Didicit enim, quod pueri discere solent. — *dies et noctis virum summa virtute et prudentia videbamus, philosopho cum operam daret, Q. Tuberonem; at eius avunculum vix intellegeres id agere, cum ageret tamen, Africanum.* Principium verborum in Ellendtianis libris valde perturbatum est. 𝔈, lg. 69, quod ille non adnotavit, *quotidie enim virum*, R, O *dies et noctes*: *quotidie enim virum* habent. Sed id hodie non curamus. Nam nos tangit, quis philosophus ille fuerit. 'Sane Panaetius erat', respondebitur. 'Erat aequalis, cuius a disciplina multi profecti sunt'. At, si id dicere voluisset Cicero, nonne nomen ipsum dedisset? An Panaetius solus erat philosophus illius aetatis princeps et omnium, ut hoc nomine eum Crassus ornare posset? Tum credibile est, Panaetium, ut privatim doceret, cum Tuberone elucubrare esse solitum? Idem denique egisse illum cum Africano? Nodus expedietur, si *philosophiae* scribemus.

§ 103. *Nam ipsa ad ornandum praecepta, quae dantur, eius modi sunt, ut ea quivis* [*vitiosissimus orator*] *explicare possit* scribo. Quod interpretandi causa quispiam male adscripserat, id in contextum irrepsit, unde factum videtur esse, ut homo ille ignarus, qui lg. 84 confecit, aut alius quis *quamvis* ex *quivis* restitui oportere putaret.

M redit.

§ 110. *sed neque vim neque naturam eius nec partis nec genera proponunt, ut praeteriri omnino fuerit satius quam attactum deseri* legendum est. Nam hoc, quod Lambinus partim coniectura ductus, ut ait homo elegantissimus, partim auctoritate codicum, quos habuit, fretus scripsit, idem A, H, E I, lg. 2, 13, 36, 84 tuentur. Mirum in modum C hoc loco perturbatum est. Vulgo *attentatum* vel *attemptatum* scribere placuit.

§ 112. *virtus suamne propter dignitatem an propter fructum aliquem* etc. Lambinus scripsit, quem ob fidem lgg. 2, 4, 13, 36 se secutum esse Ell. dicit. Sed cum in A, H, E I *aliquod* exstet, *fructum* autem voci 'dignitatem' facile adaequari potuerit, ad vulgatum *fructus aliquos* redire malim.

§ 113. *Cognitionis autem tres modi conplectuntur* M *(cognitiones)*, R, O. Hi duo et, si credi potest, lgg. 2, 13, 32, 36 *coniectura* addunt. Ex *coniectura* illud *conplectuntur* corruptum esse apertum est. Sed aegre hoc loco me verbo carere fateor, quod in singulis, quae sequuntur, partibus non deficit. Una littera *s* duplicata habebimus *tres sunt modi coniectura* etc.

§ 119. *Explicatis igitur iis* H[1]; *his* C.

§ 123. *in iis discendis rebus* A, H; *his* C.

§ 127. *non solum* H, *nec solum* C.

§ 137. *nam ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla petenda* hodie legitur. At *exempla* codices male testantur, deinde eorundem plurimi *virtutes* et *petendae* habent. Cum autem A[1], H[1], E I, *petenda* tueantur, nescio cur *nam ut virtutes a nostris, sic doctrinae sunt ab illis petenda* ex optimis libris non recipiamus, i. e. virtutes et doctrinae res sunt, quae petendae sunt. In margine *exempla* adscripsit, qui exempla enumerari viderat. Cfr. Naegelsbach, lat Stil. § 48, Haacke, lat. Stil. §§ 5 et 8.

§ 143. *Haec cum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit et ceteris silentium fuit* vulgata lectio est. Sed *et* prius M, lgg. 3, 6 omittunt. Huc accedit, quod casus dativus cum rebus, quae per se ipsae sensibus percipi non possunt, vix coniungitur. Quod ut sanaret mendum, Sorofius ex lgg. inferioris ordinis XV praepositionem *a* ante 'ceteris' inseruit. Hoc cum loco I, 160 homines docti conferre

volunt. At tamen inter se non congruunt. Nam illic silentium, quod consecutum est, nonnullis verbis, quae Cicero ipse admiscuit, quasi effingitur, hic Crassi verba Cotta et Caesar et Sulpicius deinceps excipiunt Qui cum sua protulerint, ille, postquam parumper conticuit, disserere pergit. Itaque aut *parumper* aut cetera delenda esse censeo. Hoc probo et scribo: *Haec cum Crassus dixisset, parumper ipse conticuit.*

§ 144. *Tum Cotta: Equidem, inquit, Crasse, non possum queri, quod mihi videare aliud quiddam et non id, quod susceperis, disputasse* C. In A, E I *et quod non id* exstat. Miror, quod nemo vidit, si haec dixisset Cotta, quantopere secum ipse pugnaturus fuerit. Nam audiamus, quaeso, quae sequuntur. Attulisse Crassum plus quam ei tributum esset, inquit Cotta, partes suas ingressum esse, de duabus primis satis dixisse, duas reliquas iam ingressum esse, cum subito ad philosophiam deverteret. Quid? disputavit nonne id quod susceperat, de illustranda oratione dicere, Crassus? Hic quoque H verum unus servavit, quocum verba si ita transponemus: *et id, quod non susceperis, disputasse,* Cotta apte dixerit.

In A altera et paulo inferior, in E I recentior manus supplevit.

§ 150. *In propriis igitur est verbis illa laus oratoris, ut abiecta et obsoleta fugiat, lectis atque inlustribus utatur* etc. H[1] habet. Laudo. Nam abiecta non minus quam obsoleta verba fugienda sunt, non modo lectis, sed illustribus utendum est. Recte igitur in hoc membro particula *atque* nomina adiectiva, in illo particula *et* coniuncta sunt. Item *et* in thesauro Ciceroniano Nizolius retinuit. In E II, lgg. 2, 3, 6, 24, 67 *ut,* in A, H[2], lgg. 4, 13, 32a, 36 *aut* exstat, quod, cum *a* praecedat, ex *ut* ortum est. Hoc quoque loco *atque* C.

§ 160. Crassus exposuit, si res suum nomen et vocabulum proprium non haberet, homines necessitate cogi, quod non haberent, id aliunde sumere. Haec aliena autem, si ratione translata essent, multo magis quam propria delectare. Tum vulgo haec: *Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam transilire ante pedes posita et alia longe repetita sumere; vel quod* etc., in quibus ad 'speciem' referri 'quoddam' videmus. Neque tamen *quoddam,* sed

quiddam lgg. quinque exceptis C testatur. Deinde A *positae*, E II *positum*, H, quod verum est, *positum et* habet. Scribamus igitur *specimen est, quiddam transilire ante pedes positum et alia* etc. Nam pro singulis verbis propriis complura translate poni possunt, qua de causa hoc adiectivum in plurali, illud in singulari dictum est. — *vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur* scribere placet. Sed quae singula verba sunt? Exempla et ante prolata sunt et sequuntur. Idcirco *in*, quod ante *singulis* in M aliisque exstat, in *iis* corrigamus.

§ 162. *non dixit pete, non cape* cum A, H, lgg. 2, 4, 13, 36 verba colloco.

§ 163. *facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur* C, *ferentur* A, H. Quamquam in sententiis, quae ad omnia tempora pertinent, tempore praesenti scriptores uti solent, tamen, cum *dixerim* ante dixerit, nescio cur Crassus, quod ad omnia valet, id ad sua exempla transducere non potuerit. Facilius hoc quam illud permutari potuit.

§ 165. *et enim verecunda esse debet translatio* etc. A, H, E II; *debet esse* C.

§ 169. *quae ex pluribus, ut posui, translationibus conexa sunt?* H; *exposui* C. Illud probamus, quod Crassus § 166 non exposuit, sed posuit, illud genus, quod Graeci ἀλληγορίαν appellant, ex pluribus continuatis verbis conecti. Cfr. II, 151.

§ 170. *quae aut immutata esse dixi aut aliter ea intellegenda ac dicerentur* etc. A, H; *ea* om. C. Scribo *esse intellegenda* etc.

A[1] et E I redeunt.

§ 173. *interspirationis, non defatigationis nostrae* etc. C. Post *interspirationis* lgg. VI deteriores *enim* inculcaverunt. Non erat necesse.

§ 176. *Quonam igitur modo tantum munus insistemus, ut arbitremur nos hanc vim numerose dicendi consequi posse?* C. Verbis *tantum m. ins. ut* inclusis Kayserus Bakio auctore *arbitramur* scripsit. Vulgatam Pideritius defendit. Verbum *insistemus* in *instruemus* Sorofius mutavit. Editioni meae Omniboni satis antiqua manu *instituemus* adscriptum esse addo.

§ 178. *sol ad eam circum feratur* A, H, E I, E II, *sol ut*

circumferatur C. Cum apud Ciceronem exemplum, quo circumferendi verbum cum duobus accusativis coniungi posse demonstretur, frustra quaesiverim, *sol ut circum eam feratur* scribo. Cfr. de nat. deor. II, 102 et 103.

§ 179. *Quid in arboribus* etc. ex lg. 13 recipere placuit. At *in eis* M, lg. 24, *in his* C. Hoc probo. Nam cum in silva sedentes colloquerentur, Crassum arbores, quae circum erant, digito demonstrasse verisimile est. Cfr. § 209 (*sol ille*).

§ 181. *id inventum ita suave* M. Aut ante *ita* aut post additum *est* in C exstat. Sed cum in H post *suave* trium litterarum lacuna sit, cum Kaysero facere malim, qui in adn. crit. *suave est* scripsit.

§ 185. Secundum A, H, E I, E II scribo et distinguo: *Etenim, sicut ille suspicatur, et ex istis modis, quibus hic usitatus versus efficitur, post anapaestus, procerior quidam numerus, effloruit — inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cuius membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa —, et, si numerosum est in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones et quod metiri possumus intervallis aequalibus, recte genus hoc numerorum, dum modo ne continui sint, in orationis laude ponitur.* — Deinde *quid est aliud causae* C. At *quid causa aliud* in A, H, E I exstat, quod quo modo exortum sit, apparet. Per compendium enim 'cã' scribebatur, quod cum 'a' sequeretur, ex *ẽ* effloruit. Itaque cum E II *quid est aliud* scribendum esse censeo.

§ 200. *et palaestra* A, H, E I, E II, *ut pal.* lgg. 2, 4, 13, 24, 32a, 36, *aut pal.* C.

§ 202. *Nam et commoratio una in re permultum movet et illustris explanatio rerumque, quasi gerantur, sub aspectum paene subiectio; quae et in exponenda re plurimum valet et ad illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum, ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur; et huic contraria saepe percursio est* etc. vulgata lectio est. Tres figurae sententiarum enumerantur, quae, quamquam alia alius generis est, tamen id commune habent, quod qui singulis utuntur, in eodem loco diutius maneant. Cfr. Cornif. IV, 54, 58, 68. Huic

morandi studio percursio opponitur. Recte igitur numero singulari *et huic* disputatio pergit. Sed ad quod vocabulum pronomen *quae* referendum sit, quaeri potest. Ad *subiectionem* referri solet. Nos non ad unam hanc notionem, sed ad tres illas omnes, quae antecedunt, id spectare putamus, ut tribus luminibus tria membra respondeant. Commoratio enim in exponenda re plurimum valet, ad illustrandum, id quod exponitur, explanatio, ad amplificandum sub aspectum paene subiectio vel demonstratio. Cfr. Cornif. IV, 69. Itaque ex M, lgg. 3, 6, 17, 24a, 67, 86, Gu. 1 *valent* recipere malumus. Denique animadvertas, qua verborum copia membra accrescant.

§ 206. *processio* M, *progressio* C.

§ 211. *atque sermones* A, H, E I, E II, *aliud sermones* lgg. 2, 4, 13, 24, 32, 36, 84, Vict., *aut sermo* lg. 69, R, O, *aliud sermo* C. Sed valde dubito, num Ell. ex schedis Lagomarsinianis recta adnotaverit. Verba delenda sunt. Nam tria orationis genera, deliberativum, demonstrativum, iudiciale, enumerata sunt. Haec, quae sermone tractantur, excipiunt. Quod qui animadverterat, is in margine *atque sermones* adscripserat. Cfr. Or. § 37 et 64, de off. I, 132.

§ 213. *petitum ab eo postridie* A, lgg. 3, 6, 13, 32, 36, 65, 67, *petitum est postridie ab eo* H, *petitum est ab eo postridie* C. Hac ex collocationis varietate perspicuum est, *ab eo*, quod non desideramus, e margine in versum invasisse.

§ 219. *Aliud voluptas, effusum et tenerum, hilaratum ac remissum* secundum A, H, E I, E II, lgg 13, 24, 36 scribo.

§ 223. *Qua re etiam hac* (sc. actione) *imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur* C. Sed *hac vulgus* M omittit. Non est, cur addi debeat. Vulgus imperitum est. Deinde in sententiae confirmatione, quae sequitur, non tria, sed duo genera hominum commemorantur, quae ad illos pertinent. Nam ita pergit: *Verba enim neminem movent nisi eum, qui eiusdem linguae societate coniunctus est* i. e. barbarum, deinde *sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant* sequuntur. Hoc membrum ad imperitos spectat.

§ 226. *ac doleo quidem, illos viros in eam fraudem in re publica esse delapsos; quamquam ea tela texitur et ea incitatur in*

civitate ratio vivendi ac posteritati ostenditur, ut eorum civium, quos nostri patres non tulerunt, iam similis habere cupiamus vulgata lectio est. Sed *texitur ea* M (pr. 13?), lgg. 3, 6, 24a habent, *incitatur* M (pr. 13?), lgg. 15, 86 omittunt, ut in media sententia, quod bene codices testantur, nihil nisi *ea in civitate ratio vivendi* restet. Qui, quod interpretandi causa ad 'tela' adscriptum erat, verbis aptare studuerunt, ii se hac diligentia temere similitudinis vim infirmasse non viderunt, cum haec exornatio eo plurimum valeat, quod quiddam tacito oratore ipsum auditorem suspicari sinit. Cfr. Cornif. IV, § 60 et 67. Verba interpolata esse iam Schuetzius suspicatus est.

§ 227. *Hinc gradatim ascendere vocem et suave est — nam a principio clamare agreste quiddam est — et idem illud ad firmandam est vocem salutare* secundum A, H; E I scribo; *utile et suave est* C. 'Utile' addidit, qui quid hoc loco coniunctio *et*, quae sequitur, sibi vellet, non intellexerat. Ellendtius adnotavit haec: '*salutaris* ea res voci est, *utilis* causae oratori dicendae ipsique igitur oratori'. Hominis doctissimi interpretatio magis subtilis quam vera est. Nam non id, quod causae dicendae, sed quod voci oratoris prodest actionemque adiuvat, hac paragrapho tractatur. Paulo tum infra haec sequuntur: *Haec varietas et hic per omnis sonos vocis cursus et se tuebitur et actioni adferet suavitatem.* Hic iterum duo membra habes, quae illis ita respondent, ut *se tuebitur* ad *salutare, adferet suavitatem* ad *suave est* pertineat. Cfr. Cornif. III, § 21.